MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80006-9

AUTHOR:

FLINCK, EDWIN

TITLE:

OCTAVIAE PRAETEXTAE AUCTORE

PLACE:

HELSINGFORSIAE

DATE:

1919

Master Negative #

91-80006-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87Se4
TZF Flinck, Edwin
De Octaviae praetextae auctore, dissertatio academica ... proponet Edwin Flinck ... Helsingforsiae, typis Societatis litterariae Fennicae, 1919.
101 p. 25 cm.

"Ex Annalibus Academiae scientiarum Fennicae, ser. B. tom. XI, 12."

113225

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35MM REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/17/91 INITIALS RK
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE OCTAVIAE PRAETEXTAE AUCTORE

DISSERTATIO ACADEMICA

VENIA

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS UNIVERSITATIS HELSINGFORSIENSIS

PUBLICE PROPONET

EDWIN FLINCK

IN AUDITORIO HISTORICORUM ET PHILOLOGORUM
DIE XX M. DECEMBRIS A. MCMXIX H. A. M. S.

HELSINGFORSIAE MCMXIX
TYPIS SOCIETATIS LITTERARIAE FENNICAE

DE OCTAVIAE PRAETEXTAE AUCTORE

DISSERTATIO ACADEMICA

VENIA

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS UNIVERSITATIS HELSINGFORSIENSIS

PUBLICE PROPONET

EDWIN FLINCK

IN AUDITORIO HISTORICORUM ET PHILOLOGORUM
DIE XX M. DECEMBRIS A. MCMXIX H. A. M. S.

HELSINGFORSIAE MCMXIX
TYPIS SOCIETATIS LITTERARIAE FENNICAE

Ex Annalibus Academiae Scientiarum Fennicae Ser. B. Tom. XI,[12].

MATERNI AVI

GUSTAVI ADOLPHI CAJANDER

MANIBUS SACRUM

De meo in hac dissertatione conscribenda consilio satis in primo capite et in conclusione dictum puto. Quae in SCHANZII Litterarum Latinarum Historia de hac re omni explanata sunt copiosissime, ut solent, hic mihi repetenda non videntur. Ipsius Octaviae et tragoediarum Senecae editionem secutus sum, ut par fuit, LEONIS, cuius numeros in exscribendis versibus adhibui; neque RICHTERI editionem alteram neglexi priore multo emendatiorem.

Praeceptori meo F. GUSTAFSSON, Professori Litterarum Latinarum, qui in hoc opere suscipiendo et perficiendo consiliis et doctrinae opibus humanissime me adiuvit, quantum debeam, vix eloqui possum. Etiam I. A. HEIKEL, Graecarum Litterarum Professor, qua semper erga me fuit benevolentia, summa me obligavit gratia.

Index.

Corrigendum.

Pag. 50, lin. 18 initio lege: mirari se dixit quod *eqs.*

De auctore Octaviae.

Senecae Octaviam praetextam cur abiudicaverint viri docti cum quaerimus, causas invenimus tres: unam quod deest praetexta optimo codicum manu scriptorum Etrusco, alteram quod res post mortem Senecae gestas, in primis Neronis mortem, in praetexta designari putant, tertiam quod nonnullis rebus, stilo, sermone, metro, praetextam a Senecae tragoediis differre sibi persuaserunt. Earum si placet causarum quam quaeque iusta sit, primum consideremus.

Quod codici Etrusco deest Octavia, nihil valet ad eam tamquam spuriam notandam, etiamsi vera esset, quam iam non multi tuentur[1]), sententia LEONIS illi uni codici summam auctoritatem in textu novem tragoediarum recensendo tribuentis, alterum genus codicum data opera interpolatum esse contendentis. Nam facile est ad intellegendum iam Senecae temporibus vel brevi post duo exstitisse tragoediarum eius corpora, unum quo Graecae tantum fabulae continerentur, alterum quo praetexta quoque recepta esset Octavia. SIEGMUND quidem Etruscum putat[2]) textum praebere vivo Seneca editum, recensionem A autem postea a Seneca ipso

---

[1]) Codicum vulgaris generis (A) scripturas dignas esse, quae in novem fabulis edendis adhibeantur, multis nixi locis, quibus in Etrusco minus recte traditis medela ex A paratur, contenderunt O. ROSSBACH, Berl. Philol. Wochenschrift 1904 pag. 326 sqq., 361 sqq. et imprimis ANTON SIEGMUND duobus programmatis Böhm.-Leipae annis 1910 et 1911 editis, quae inscribuntur „Zur Kritik der Tragödie Octavia".

[2]) Progr. 1911 pag. 24.

correctam et politam Octaviaque praetexta auctam esse. Haec tamen opinio cum nullo certo nitatur fundamento, primo impetu nos potius capit quam argumentandi tenet severitate. Immo post Neronis tandem mortem aut Senecae saltem interitum probabile est Octaviam prius latentem ex editoris curis exiisse et auctoris nomen esse proditum.

Ex iis Octaviae locis, quibus res significari creditur mortuo iam Seneca gestas, gravissimus est et qui vel unus clarissimis philologis Octaviam Senecae esse negantibus nescio an satis fecisse videatur ille, ubi Agrippina nuptiis Neronis et Poppaeae futuris ab inferis excitata haec secum loquitur:

V. 617 *poscit auctorem necis.*
iam parce: dabitur, tempus haud longum peto.
ultrix Erinys impio dignum parat
letum tyranno, verbera et turpem fugam
poenasque quis et Tantali vincat sitim
dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem
Ixionisque membra rapientem rotam.
licet exstruat marmoribus atque auro tegat
superbus aulam, limen armatae ducis
servent cohortes, mittat immensas opes
exhaustus orbis, supplices dextram petant
Parthi cruentam, regna divitias ferant:
veniet dies tempusque quo reddat suis
animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus
desertus ac destructus et cunctis egens.

Quos versus doleo a tot viris doctis obiter et leviter tractatos esse et tamquam actam rem habitos, quos accuratius ne inspicere quidem oporteret; vulgo enim putant eos ad mortem Neronis esse referendos, qualem descripsit Suetonius in vitae capp. 48 sq. ita quidem, ut spectent primum *fuga* Oct. v. 620 ad fugam illam, qua villam suburbanam petivit Nero, deinde *verbera* ad poenam ei more maiorum constitutam, quod iussit senatus *corpus virgis ad necem caedi* (Suet. 49, 2), tum *Tantali sitim* ad Suetonii verba

c. 48, 4 *fameque et iterum siti interpellante panem quidem sordidum aspernatus est, aquae autem tepidae aliquantum bibit*, postremo *reddat . . . iugulum hostibus* v. 630 ad Suet. 49, 3 *ferrum iugulo adegit.* Itaque concludunt Octaviae verba apertiora facta esse, quam quae ante ipsas res gestas potuissent scribi.

Haec opinio si tam vera esset, quanta veritatis specie adhuc refulsit quamque multos, qui sequerentur, adepta est, res de Seneca Octaviae auctore acta esset. Neque tamen dissolutum esse hoc iudicium concesserim. Nam ii qui vulgari sententiae assensi non sunt, magis infinite illa in praetexta dicta esse arbitrati quam si quid de morte Neronis compertum habuisset auctor, RANKE[1]), SIEGMUND[2]), GUSTAFSSON[3]), singula verba satis non sunt persecuti, quae mirifice ad similitudinem narrationis Suetonii accedere videantur. Quae cum ita sint, hanc rem paulo altius mihi repetere liceat atque imprimis Octaviae verba ad morem Senecae in similibus rebus observatum referre.

Diligentius igitur in locum inquirenti cum ad oculos occurrat *letum* ante *verbera* et *fugam*[4]) positum esse, apparet his nihil designari, quod Neroni vivo accidat, sed poenas significari post mortem apud inferos ei imponendas. Atque quoniam priore in versu *Erinys* commemoratur, mirandum est fugisse viros doctos praeter SIEGMUNDIUM[5]) Erinyos verbera fugamque ab ea incitatam fingi ad fugam Orestis, qui matre occisa a furiis agitatus verbera earum sensit. Neque desunt Senecae tragoediis exempla, quibus ostendantur *verbera* illa nihil ad veram rerum narrationem pertinere. Nam Erinyes cum verberibus saepius in his fabulis commemorantur easque Hf. 86 sqq. Iuno his verbis excitat:

---

[1]) Abhandlungen und Versuche, Lipsiae 1888, pag. 65. Viro illustrissimo huiusmodi in rebus summam esse auctoritatem statuatur necesse est.

[2]) Progr. 1911 pag. 20.

[3]) Octavia, en romersk tragedi. Helsingforsiae 1915, pag. 6.

[4]) Si quis in epitheto *turpem* haeret, consideret quaeso id *fugae* saepius accedere, velut Tac. Ann. II 17, 20 *turpi fuga*, Hist. III 9, 8 *turpem fugam*.

[5]) Progr. 1911 pag. 20 sqq.

adsint ab imo Tartari fundo excitae
Eumenides; ignem flammeae spargant comae,
viperea saevae v e r b e r a incutiant manus.

In Oed. 644 sq. haec minatur Laius:

et mecum E r i n y n pronubam thalami traham,
traham † sonantes v e r b e r a.

Cassandra dicit Ag. 759 sq.:

instant sorores squalidae,
sanguinea iactant v e r b e r a.

HO. 1001 sq. sibi ipsa loquitur Deianira:

dexterae parcent tuae
Eumenides ipsae — v e r b e r u m crepuit sonus.
1013 sq. *parce v e r b e r i b u s precor,*
Megaera, parce.

V e r b e r a in mente Senecae cum ultione connexa esse ostendit locus libri de ira II 5, 2 *nec illi v e r b e r a lacerationesque in u l t i o n e m petuntur.* Ex Ovidio attulit SIEGMUND Ibidis v. 157 sqq., ubi leguntur

v e r b e r a torta dabunt sonitum, nexaque colubris
conscia fumabunt semper ad ora faces.
his vivus furiis agitabere, mortuus isdem:
et brevior poena vita futura tua est.

Inde quoniam intellegitur *verbera* quorum in Octavia mentio est facta ad Suetonii *virgas* et poenam a civibus exactam nihil spectare, non abest suspicio, quin omnia, quae in praetexta tanti existimata sunt, rectius ad solitas quasdam imprecandi formas referantur. Quam veram esse suspicionem Herculis Oetaei loco — sunt versus 934 sqq. — comprobabitur, ubi eadem quae Agrippina in Octavia Neroni, sibi ipsa per longiorem orationem imprecatur Deianira. Similitudines hic ordine, quae est in HO., comparabimus. Legimus igitur v. 939 et 941 *para laborem . . . . horridam poenam para* sicut Oct. 619 et 621 *parat . . . . poenas.*

† *sonantes* codd.; *sonantem* Gronovius.

Deinde optat Deianira, ut eorundem ipsa excipiat cruciatus, qui in Octavia commemorantur, Sisyphi, Tantali, Ixionis, Tityi[1]). Est etiam vox *sitim* v. 944 *meamque fallax unda deludat sitim*[2]). V. 1001 sq. et 1013 sq. iam leguntur verba supra adhibita, ubi furiarum verberumque mentio facta est. Versibus 1006 *poenas poscis Alcidae? dabo* et 1019 sq. *totusque poscit vindicem mundus suum:/ iam parcite* conferendi sunt Oct. 617 sq. *poscit auctorem necis./ iam parce: dabitur*. In v. 1009 sqq. iam Sisyphi et Ixionis cruciatus rursus adferuntur et partim eadem sunt verba HO. 1011 *membra quis quatitur rota?* quae in Oct. 623 *membra rapientem rotam*, ubi *membra* et *rota* in eadem sunt versus sede. Etiam in HO. de fuga fit mentio, cum dicit Deianira v. 1020 *quo fugam praeceps agam?* et adfirmat Hyllus v. 1024 *fugit attonita*, sicut in Oct. v. 620 Agrippina fugam Neroni a furia paratum iri optat. Denique ad. Oct. 629 sq. *reddat . . . . iugulum hostibus* respondent HO. 991 sq. *iugulo placet/ mersisse ferrum*.

Ergo videmus ea omnia verba, quibus tanta vis in quaestione de Octaviae auctore diiudicanda est attributa, in HO. exstare. Similia in aliis quoque tragoediis sunt, velut evocat Medea furias, quae morte Creontem eiusque familiam puniant (Med. 13 sqq.):

V. 13 *nunc nunc adeste, sceleris ultrices deae*
. . . .
16 *adeste, thalamis horridae quondam meis*
quales stetistis: coniugi letum novae
letumque socero et regiae stirpi date.
mihi peius aliquid, quod precer sponso, manet:
vivat. per urbes erret ignotas egens
exul pavens invisus incerti laris.

---

[1]) Iidem Hf. 750 sqq., Med. 744 sqq., Phae. 1228 sqq., Thy. 4 sqq., Ag. 15 sqq. adferuntur. Quod autem in praetexta commemorantur, probabiliter inde explicatur, quod proprie in mente erant Agrippinae eo ipso tempore ab inferis egressae suosque cruciatus describenti.

[2]) *Tantali sitim* non spectare ad veram neque insolitam sitim a Suetonio descriptam, quippe quae nulla esset poena, cum per se intellegitur, tum eo demonstratur quod saepissime illud nomen de Tantali *siti* in Senecae tragoediis ponitur: Thy. 4. 98. 150. 169. Ag. 19. 771. HO. 944. 1077.

Duobus qui extremi sunt versibus conferendus est Oct. 631 *desertus ac destructus et cunctis egens*, in quibus nihil est, quod ad Neronem referatur. Eadem Electrae minatur Aegisthus Ag. 991 sqq.:

inops e g e n s inclusa paedore obruta
vidua ante thalamos, exul, invisa omnibus
aethere negato sero subcumbet malis.

Itaque cum appareat Senecam in similibus causis iisdem atque illo Octaviae loco verbis usum esse, haec nobis non licet in certis rebus collocare neque ad Suetonium referre. Quod si in *verberibus* et *fuga* et *siti* verum est, item perspicuum est verba *reddat . . . . iugulum hostibus* non posse referri ad mortem, quam sibi ipse conscivit Nero. Nam manus sibi ipse attulisse his verbis minime dicitur. Iuguli autem nomen saepissime usurpat Seneca in caede significanda. Exstat enim Thy. 723 *iugulo manum commisit*, Ag. 43 *daturus coniugi iugulum suae*, 656 sq. *vidi senis in iugulo/ telum*, 972 sq. *sive te iugulo iuvat/ mersisse ferrum, praebeo iugulum tibi*, Tro. 50 *ensis senili siccus e iugulo redit*, Oed. 1037 *telum an patenti conditum iugulo imprimam.* Accedit locus HO:i (v. 991) iam supra commemoratus. Eodem nomine in simili re usus est Seneca in libris pedestri sermone conscriptis, velut de ira I 2, 2 (iussit ira) *alium servili manu regalem aperire iugulum*[1]).

Alter vero exstat praetextae locus, ubi nex voluntaria Neronis significari putatur, in quem iam est inquirendum. Nam Poppaea nutrici hoc narrat somnium Oct. 728 sqq.:

venientem intuor
comitante turba coniugem quondam meum
natumque; properat petere complexus meos
Crispinus, intermissa libare oscula:
irrupit intra tecta cum t r e p i d u s mea
ensemque i u g u l o condidit saevum Nero.

Quos versus collatis Suetonii c. 49, 3 *trepidanter effatus* ἵππων eqs. *ferrum iugulo adegit* ad voluntariam mortem Neronis spectare

[1]) Plura ex libris philosophis attulit SIEGMUND progr. 1911 pag. 23.

opinatur ex. gr. LADEK[1]). Sed verba non tam aperta esse quam primo aspectu videntur, inde apparet, quod alii ea aliter intellegunt, ad vocem iugulo *eius* audientes, ita ut Crispinus in somnio designetur a Nerone interfectus; quorum in numero sunt STAHR[2]), NORDMEYER[3]), GUSTAFSSON[4]). Hoc utut est, et ego quidem nescio an rectius ex sententia *suo* iugulo addatur, certum est tam obscura esse verba somniantis, ut nihil quod ad res gestas in Octavia non commemoratas pertineat, ex iis elicere possit interpres. *Iuguli* enim nomen nihil hac in re valere iam ante ostendi. Neque res spectat Poppaeae somnium nisi in fabula significatas, sed eo auctor velut praenuntiare voluit motum populi, qui eodem actu tractatur, cuius in principio exprimitur somnium; id explicatio declarat nutricis v. 752 sq.:

iugulo quod ensem condidit princeps tuus,
b e l l a h a u d m o v e b i t, pace sed ferrum teget.

collatis iis quibus chorus eundem motum populi reprehendit v. 806:

fera quid frustra b e l l a m o v e t i s.

Restat unus praetextae locus, ubi Poppaeae Neronisque exitus praedici putatur[5]), v. 595 sqq.

nubat his flammis meo
Poppaea nato iuncta, quas vindex manus
dolorque matris vertet ad tristes rogos.

Sed etiam haec ex usu et more Senecae non rerum memoria adhibita explicantur. Etenim quoniam nihil magis quam antitheta captavit Seneca, facile intellegitur, cur Agrippinam nuptiarum facibus iusserit ignes rogorum opponere contrarios. Ex ipsa enim re oritur, quod nuptiis Poppaeae malum nuntiat Agrippina. *Vindex manus* matris ultricem dextram designat facem ad perniciem

[1]) Libri commemorati pag. 6.
[2]) Agrippina p. 244 sqq.
[3]) De Octaviae fabula. Diss. 1892, pag. 14 sqq.
[4]) L. c. p. 30.
[5]) Ladek l. c. pag. 6.

Poppaeae et Neronis quatientem[1]). Vocabulum *vindex* aut hoc loco aut 255 sq. *forsitan vindex deus/ existet aliquis, laetus et veniet dies* ad Iulium Vindicem, qui ante omnes a Nerone defecturus erat, spectare, id quod primus opinatus est VATER ac LADEK, cui assentitur fere SCHANZ, veri non prorsus dissimile putat, vere contendi non potest, quia *vindicis* nomen saepius in Senecae tragoediis de ultione significanda dicitur. Atque duo adfero exempla, quae simillima sunt illorum Octaviae locorum, unum Phae. 261

vindicem armemus manum,

ubi *vindex* eidem cui in praetextae v. 596 *manus* nomini accedit, alterum Thy. 1110

vindices aderunt dei,

ubi cum *dei* nomine, ut Oct. 255, Seneca *vindicis* epitheton iunxit. Cum Octaviae v. 255 sq. conferendus est praeterea Troad. 470 sqq. *eritne tempus illud ac felix dies/ quo Troici defensor et vindex soli rediviva ponas Pergama*[2]). Ex quibus exemplis elucet tantum abesse, ut *vindicis* nomine usurpato in suspicionem vocetur praetextae auctoritas, ut confirmetur.

Nulla igitur in Octavia verba esse demonstravi, quae ad res post Senecam gestas spectarent. Id autem, quod malum et mors Neroni praedicitur, non impedit, quominus Senecam auctorem praetextae esse credamus. Nam cum omnes hae fabulae velut nuntiae sunt malorum, tum probabile est Senecam proximis ante mortem temporibus, cum Octaviam scribebat, quem exitum scelera Neronis habitura essent intellexisse. Atque etiamsi ipse coniurationi Pisonis non interfuerit[3]), apparet eum cognita habuisse consilia, quae eo iam vivo in Neronem inita erant. Si vero post mortem tandem Neronis scripta esset Octavia, certe multo apertius in ea mors Neronis significaretur et quidem in extrema fa-

[1]) Cfr. Hf. 102 sqq. *Megaera ducat atque luctifica manu/ vastam rogo flagrante corripiat trabem.*

[2]) Ad verba *tempus . ac . dies* cfr. Oct. 629 *dies tempusque.*

[3]) Tac. Ann. XV 60 *Sequitur caedes Annaei Senecae, non quia coniurationis manifestum compererat* eqs.

bula, neque desineret praetexta in tristi querela, qua nunc di accusantur, quod Octaviae caedem inultam fieri patiantur. Qua re evincitur auctorem, etiamsi scelerum exitum praevidit, de vera poena, quae et poetae et civi aeque erat commemoranda, nihil compertum habuisse. Ego vero perpurgatis his locis, quos de Neronis interitu dictos putant, non dubitandum censeo, quin tantam tanti tyranni cladem si revera comperisset qui feminae necem tam vividis coloribus tamque calenti pectore cecinerit, futurum fuerit, ut is multo verius multoque calidius quam traditis Furiarum poenis, quamvis irae et odio plenis, vel poeta effingeret vel rhetor.

Neque quod probavimus eo infirmius fit, quod post incendium urbis a Nerone factum praetextae versus 831 sqq. videntur ficti esse. Incendium enim anno ante mortem Senecae factum respicere potuit Seneca.

LADEK et BIRT[1]) cum negant fieri potuisse, ut se ipsum in scaenam duceret Seneca eaque quae in fabula profert se loquentem faceret, non viderunt suam causam illum dicere eaque tueri, quae in re publica administranda secutus erat. Quae omnia cum moribus congruere eius, quales ex philosophiae libris et tragoediis apparent, sequenti capite ostendemus.

Iam vero si mortuo Seneca imperfectam mansisse fabulam constituimus, asperitates quoque quaedam stili, quarum infra mentio fiet, facile explicantur.

Fuerunt etiam qui contenderent Octaviae auctorem omnia sua ex Tacito hausisse[2]). Quorum argumenta omnino futilia sunt, neque est, quod post LADEKII egregios in hac re labores ad ea refellenda operam impendamus, quoniam is quidem singula fortiter refutavit[3]). Immo concedendum est omnia in praetexta ad eiusdem aetatis scriptorem pertinere, qui cum in omnibus rebus illa aetate gestis ut notissimis versatur, tum appellationes usurpat domus Augustae plane easdem, quae in inscriptionibus illius aeta-

[1]) Kritik und Hermeneutik, MÜLLERI enchiridion I 3, pag. 226.

[2]) Quorum in numero fuerunt VATER, BRAUN, CIMA, VÜRTHEIM.

[3]) De Octavia praetexta pag. 15 sqq. — Zeitschr. f. d. Österr. Gymn. 1905, pag. 678 sqq.

tis reperiuntur[1]). Nusquam ullam rem sumpsit auctor eos, qui lecturi erant, ignorasse, intellexitque in Octavia carendum esse locorum descriptionibus, quae multae sunt et longae in Graecis tragoediis; quas vix vitasset posterioris aetatis scriptor.

Quae stili, sermonis, metri dissimilitudines in Octavia et in ceteris fabulis viri docti verbis auxerunt, tam paucae re vera sunt, ut una pagina omnes fere collegerit LADEK[2]), haec cum disseruit: »accedit, quod etiam dicendi genere Octavia a ceteris tragoediis paullulum differt; in universum enim in ea non tantus verborum tumor, ut ita dicam, quantus in ceteris conspicitur et, ut singula proferantur, iam Richter[3]) observavit particulam 'mox', quae nusquam[4]) in reliquis tragoediis obviam fit, in Octavia octies legi et quidem ita, ut vim particulae 'deinde' habeat, recteque idem mentione dignum esse ait, quod adiectiva in 'ficus' et 'fer' terminata, quorum magnus numerus in ceteris novem fabulis exstat, in Octaviae prorsus desiderantur. quodsi ille adnotat particulam 'retro' in omnibus fabulis excepta Octavia inveniri, hanc observationem iam B. Schmidt fecit in dissertatione 'de emendandarum Senecae tragoediarum rationibus metricis et prosodiacis' (Berolini a. 1860) p. 34. denique aliud quoque eius generis discrimen inter Octaviam et ceteras fabulas intercedit. cum enim in reliquis fabulis nusquam nisi uno loco[5]), dico Ag. v. 417 sq. *refugit loqui/ mens aegra tantis atque inhorrescit malis*, particulae 'atque' traiectio admissa sit, in Octavia haec particula quinquies vocabulum, cui praeponenda erat, sequitur (v. 110, 165, 244, 474, 561). haec igitur de dicendi genere, quod in Octavia conspicitur. iam vero si rem metricam respicimus, animadvertimus in huius fabulae versibus anapaestis licentias quasdam sae-

[1]) Quod diligenti demonstravit disputatione NORDMEYER, De Octaviae fabula, pag. 37 sqq.

[2]) L. c. pag. 7.

[3]) De Seneca tragoediarum auctore. Diss. 1862, pag. 3.

[4]) Erraverunt et RICHTER et LADEK, nam *mox* semel in Senecae tragoediis invenitur Hf. 458.

[5]) Rationem non habet LADEK Thy. 912 *regum atque regem*, quod scribit ex Etrusco LEO. A *regumque regem* habet.

pius quam in ceteris tragoediis admissas esse.» Neque tamen multum his rebus tribuisse videtur LADEK, quoniam postea dicit pag. 75: »tamen nisi iam propter alias res certissimum esset Octaviam a Seneca conscriptam esse non posse, certe propter sermonem nequaquam a Seneca posset abiudicari».

Cum vero ceteras causas, ob quas Senecae abiudicata est Octavia, iustas non esse viderimus, restat ut quaeramus, utrum stilus Octaviae cum arte in illius fabulis observata consentiat necne. Quibus comparatis si similitudines, non in imitatione positae, largius animadversae erunt, neque graviores occurrerint dissimilitudines, probabile erit codices manuscriptos vero nomine praetextam tradidisse et auctorem esse Senecam. Haec autem quaestio quam nobis proposuimus, difficilis est, quod ex tragoediis latinis hac tantum aetatem tulerunt, neque sine tertio, quod dicunt, comparando, facile potest discerni, quae similitudines respiciendae non sint, quod omnium eius aetatis tragoediarum communes fuerint, quae tales sint, ut propinquitatem quandam ostendant. Quod facile esset, si vel una alia eiusdem temporis tragoedia ad nos pervenisset. Etiam de universo dicendi genere poetarum, quomodo processerit, describendo parum curaverunt viri docti, ut in dubio plerumque de aliorum scriptorum usu haereas[1]) neque certas habeas formas, ad quas materiam tuam possis redigere. In re tantum metrica exstat descriptio accurata, quae singula persequitur, L. MUELLERI opus de re metrica confectum[2]). Id quoque nos in ea re quam nobis proposuimus gerenda impedit, quod Octavia utpote praetexta diversi est generis fabularum ac ceterae novem tragoediae, quippe in quibus Graecae fabulae tractentur. Hac enim re necessario factum est, ut etiamsi idem fuit auctor, dissimilis in Octavia atque in Graecis fabulis stilus adhiberetur. Quod satis non respexerunt illi viri docti, qui pusillas quasdam varietates attulerunt argumentorum loco, quibus nixi a Seneca non conscriptam esse Octaviam probarent.

[1]) DRAEGERI Syntaxis in singulis saepe nos destituit ac ne universa quidem progressio ex ea facile cognoscitur.

[2]) Editio altera. Petropoli et Lipsiae 1894.

Sed ad propositum revertamur. Primum igitur de argumenti tractatione, qualis in personarum moribus describendis apparet, disseremus, tum de dicendi genere, quod in synonymorum et similium vocabulorum usu fit perspicuum, post de rebus metricis. Quibus conclusis animadversiones quasdam de re critica addemus.

De hominum moribus in fabula describendis.

Senecam philosophum in tragoediis conscribendis praeter poeticas rationes philosophas quasdam secutum esse per se intellegitur. Quae in moribus eorum, qui primas agunt partes, adumbrandis eminent. Affectus enim exponit, quibus perturbati homines, nobiles praesertim, et in scelera et in casus ancipites incurrant ita, ut mala fortuna premi videantur. Similes rationes in Octavia elucent, ubi infausta Octaviae fortuna ira et libidine Neronis parata describitur. Nam eandem in praetexta atque in Graecis fabulis statuere oportet summan sententiarum rationem, affectuum calamitatem. Ut in ceteris malorum causae *furor* vel *ira* hominum est[1]), ita in Octavia caeca Neronis *ira* mortem uxori innocenti adfert. Iam v. 48 nutrix *de ira crudelis viri* loquitur et ea v. 254 sq. Octaviam cavere iubet: *neve violenti move iram mariti.* Nero v. 470 ipse dicit: *invisa coniunx pereat.* Octavia autem v. 647 sqq. chorum sibi studentem monet, *ne tantus amor/ nostrique favor principis acres/ suscitet iras,* sed cum ea invita ad tumultum agitur populus, satis est Neroni, ut censeat v. 830 *iramque nostram sanguine exstinguat suo* (Octavia) et 859 *iram expiabit prima quae meruit meam*[2]). Quibus versibus velut filum quoddam per fabulam percurrens notatur.

---

[1]) Cfr. Birt, „Was hat Seneca mit seinen Tragödien gewollt", Neue Jahrb. 1911 (27), p. 348 sq., cui tamen contendenti fabulas ut exempla Neroni dare voluisse auctorem vix quisquam assentietur.

[2]) Ex mente Neronis nescio an v. 876 scribendum sit *tumor,* quae lectio in quibusdam est codicibus. Vide animadversiones criticas.

Illa affectuum vis ad fatum refertur; quod partim ex Graecorum tragoediis traditum, partim ipsius est Senecae, qui omnia causis aeternis a naturae necessitate manantibus fieri putat. Etiam hac in re Octavia cum ceteris fabulis plane consentit. Nam in ipso principio dicit Octavia:

V. 82 sq. *non vota meos tua nunc casus,*
sed fata regunt.

et paulo post se non dubitare affirmat, quin fata mortem suam constituerint:

V. 182 *me dira miseri fata germani trahunt.*

Atque cum extremum ingressura est iter, chorus fati imperium canit:

V. 924 sqq. *regitur fatis mortale genus,*
nec sibi quisquam spondere potest
firmum et stabile.

Similiter in Senecae Oedipo res progrediuntur. Dicit Oedipus v. 28:

iam iam aliquid in nos fata moliri parant

et v. 206:

horrore quatior, fata quo vergant timens.

Neque dissimiliter atque in praetexta chorus in Oedipo, postquam omnia sunt explicata, cantat v. 980 sqq.:

fatis agimur: cedite fatis;
non sollicitae possunt curae
mutare rati stamina fusi.
quidquid patimur mortale genus,
quidquid facimus venit ex alto eqs.

Idem igitur de his rebus sensit Octaviae auctor ac Seneca, neque est cur imitantem huius vestigia praetextae scriptorem pressisse credamus, cum in Octavia non minus quam in ceteris tragoediis consequens quaedam societas illarum rerum cum fabula exstare videatur.

Quod item dicendum est de sententia, quae saepe in his tragoediis repetitur de incerto statu hominum in aula versantium.

Etenim re expertus videtur monere auctor aulicos non esse, quibus invideatur:

Oct. 34 sqq. *Fulgore primo captus et fragili bono*
fallacis aulae quisquis attonitus stupet,
subito latentis ecce fortunae impetu
modo praepotentem cernat eversam domum
stirpemque Claudi.

Conferenda haec sunt:

Troad. 1 sqq. *Quicumque regno fidit et magna potens*
dominatur aula nec leves metuit deos
animumque rebus credulum laetis dedit,
me videat et te Troia: non umquam tulit
documenta fors maiora, quam fragili loco
starent superbi. columen eversum occidit
pollentis Asiae . . .

Oed. 6 sqq. *Quisquamne regno gaudet? O fallax bonum,*
quantum malorum fronte quam blanda tegis.
ut alta ventos semper excipiunt iuga
. . . .
imperia sic excelsa fortunae obiacent.

Ag. 57 sqq. *O regnorum magnis fallax*
fortuna bonis, in praecipiti
dubioque locas nimis excelsos.

Thy. 391 sqq. *Stet quicumque volet potens*
aulae culmine lubrico.

Thy. 414 sqq. *clarus hic regni nitor*
fulgore non est quod oculos falso auferat.

His locis quoniam praeter sententiarum similitudinem multa sunt eademque verba, necesse est Octaviae auctorem omnes hos versus cognovisse atque velut excerptos in mente habuisse. Quod vix fieri potuit nisi unus idemque fuit qui praetextam et reliquas tragoedias conscripsit Seneca. Itaque tutissimum esse videtur eodem modo similitudinem Octaviae cum ceteris locis explicare, quemadmodum horum inter se consensionem intellegimus, prae-

sertim quoniam non minus apte ea, quae universe in Graecis fabulis sunt dicta, in certis et veris rebus collocantur in Octavia; imitatio nulla animadvertitur. Claudiae autem gentis fata, quae quam maxime in Octavia proponuntur, Senecae, qui fastigium fortunae eius viderat, si cuiquam describenda fuerunt.

Illi mobilitati securitas humilis fortunae opponitur:

Oct. 895 sqq. *bene paupertas*
humili tecto contenta latet:
quatiunt altas saepe procellae
aut evertit fortuna domos.
Hf. 199 sqq. *humilique loco sed certa sedet*
sordida parvae fortuna domus:
alte virtus animosa cadit.
Phae. 1138 sq. *non capit umquam magnos motus*
humilis tecti plebeia domus.

Qualia quamquam omnino sunt poetarum, velut quae imprimis apud Horatium offeruntur, tamen in Seneca, collatis praeterea Ag. 96, 101, Thy. 447 sqq., 613 sqq., Oct. 377 sqq., Stoicorum ex rationibus sunt repetenda.

Quoniam universas rationes, quas in moribus adumbrandis secuti sunt Octaviae auctor et Seneca, plane easdem esse satis demonstrasse videor[1], iam singulorum praetextae personarum mores persequar. Atque in his quidem expressis idem cognosci videtur Seneca philosophus, quantum pro rerum in Octavia descriptarum veritate potest. Nam in easdem non confundi potuisse formas homines praetextae atque Graecarum fabularum per se est perspicuum, quia tantum non habuit spatium se movendi auctor, dum praetextam scribit, quam si fictas tractaret fabulas. Quod in his quaestionibus neglexisse homines doctos non possum non mirari.

[1]) SCHAEFERO in libello 'De philosophiae Annaeanae in Senecae tragoediis vestigiis' inscripto anno 1909 edito, pag. 116, statuere placuit nullam in Octavia philosophiam, artem tantum scholasticam inesse. Haec opinio, quia nullis fulta est argumentis, refutandi opera non caret.

Id igitur, quod nihil agit in praetexta Octavia, commonent et eo addunt eam ab omnibus quae in ceteris tragoediis in scaenam adducuntur feminis differre. Et in ceteris quidem tragoediis feminae in sermonem se dant eorum, qui aliquid conferunt ad exitum rerum, quae in scaena aguntur. Iam vero quod in praetexta non fecit auctor, ut Octavia et Nero convenirent, rectissime egit[1]). Exponere enim voluit, quemadmodum Octavia non audita innocens ob Neronis iram periret. In Graecis fabulis talem feminam non effinxit Seneca, respexit autem, nisi fallor, eiusmodi casum in Agamemnonis versibus 277 sqq., quos non animadverterunt viri docti, quamvis mirifice ad Octaviae causam accommodati esse videantur:

iam crimen ille quaerit et causas parat.
nil esse crede turpe commissum tibi:
quid honesta prodest vita, flagitio vacans?
ubi dominus odit fit nocens, non quaeritur.

Quibuscum conferantur Oct. 285 sqq.:

sancta quid illi
prodest pietas divusque pater,
quid virginitas castusque pudor?

Illis Agamemnonis versibus ab Aegistho de Clytaemnestra dictis, qui suo loco ita non sunt apti, Seneca velut viam designavit[2]), quam in Octaviae casu tractando sequeretur. Unde efficitur cogitata in praetexta exposita a Seneca aliena non esse.

Neronis mores in praetexta ita sunt adumbrati, ut praeceptor eius scriptor videatur agnosci. Nam eas tantum res Neronis

[1]) Cfr. GUSTAFSSON, Octavia, pag. 12. — Vera Octavia non multum cum Nerone egit et secessum amavit. Posterioris autem aetatis imitator vix abstinuisset, quin Octaviam cum Nerone in scaena contendentem ad animos hominum commovendos adduceret.

[2]) Quodsi illis versibus Octaviam significavit Seneca, necesse est inter novissimas conscriptam esse fabulam Agamemnonem, quod metricis rationibus Octaviae proximis firmatur, non inter primas a Seneca adulescentulo, id quod voluit LEO I pag. 133.

proprias protulit auctor, quae rei publicae rectoris essent et Senecae rationibus illustrarentur, neque quae notissima ad posteros tradita sunt vitia, caedendi et perdendi furorem, libidinum incontinentiam, patefecit, dementissimum artis studium ne commemoravit quidem. Suspicaci animo et pravis rei publicae administrandi rationibus, quibus obstiterat, obsistere pergit in fabula quoque praeceptor, neque caedis furore[1]) ducitur in fabula dominus ille infinita potestate praeditus. Haec morum tyranni exprimendorum ratio verisimillime ostendit auctorem cum Nerone proxime coniunctum fuisse eumque aliter cognovisse atque eiusdem aetatis aut posterioris homines. Si vero post mortem Neronis scripta esset Octavia, vix fieri potuit quin totus tamquam detegeretur tyrannus.

Seneca si praetextam conscripsit se ipse in scaenam videtur ea mente adduxisse, ut planum faceret quas fere rationes Neronem in re publica sequi voluisset. Quae ex ipsis rebus in praetexta descriptis exortae eo minus mirandae sunt, quod nonnulla eiusdem generis scriptor Graecis tragoediis inseruit, quae ad cogitata in philosophiae libris exposita respondent[2]). Ad horum similitudinem accedit in Octavia altercatio inter Senecam et Neronem, ubi tamen pleniora sunt verba et responsa inter se acrius tamquam confligunt quam in ceteris fabulis. Inde vero nativa quaedam praetextae vis accrescit, quam vix consecutus esset imitator. Easdem autem sententias, non eadem verba ab Octaviae auctore atque a Seneca posita esse ex locis infra digestis elucebit. Octaviae autem versus disposui iuxta similes locos, quos ex Senecae tragoediis et operibus pedestri sermone conscriptis petivi.

Oct.	440	Sen.	*Nihil in propinquos temere constitui decet.*
Thy.	219		*Nefas nocere vel malo fratri puta.*
Oct.	441	Ner.	*Iustum esse facile est cui vacat pectus metu.*
De ira	II 11, 4		*Ita natura constituit ut quidquid alieno metu magnum est, a suo non vacet.*

[1]) Ab Octavia autem et choro crudelitas eius effingitur.

[2]) Cfr. I. A. Heikel, Senecas Character und politische Thätigkeit aus seinen Schriften beleuchtet, Helsingforsiae 1886, pag. 18 sq.

Oct.	442	Sen.	*Magnum timoris remedium clementia est.*
De clem.	I 11, 4		*Clementia ergo non tantum honestiores sed tutiores praestat ornamentumque imperiorum est simul et certissima salus.*
Oct.	443	Ner.	*Exstinguere hostem maxima est virtus ducis.*
Tro.	333		*Lex nulla capto parcit aut poenam impedit.*
Oct.	446	Sen.	*Regenda magis est fervida adolescentia.*
Tro.	250		*Iuvenile vitium est regere non posse impetum.*
De clem.	I 1, 3		*In hac tanta facultate rerum non ira me ad iniqua supplicia compulit, non iuvenilis impetus*
Oct.	451	Ner.	*Fortuna nostra cuncta permittit mihi.*
De ira	III 16, 2		*perierunt omnia, ubi quantum ira suadet fortuna permittit.*
Dial.	IX 5, 4		*utcumque fortuna permittet . . .*
Oct.	453	Ner.	*Inertis est nescire quid liceat sibi.*
	454	Sen.	*Id facere laus est quod decet, non quod licet.*
	574	Ner.	*Prohibebor unus facere, quod cunctis licet.*
	575	Sen.	*Maiora populus semper a summo exigit.*
Thy.	214 sq.		*ubicumque tantum honesta dominanti licent, precario regnatur.*
Tro.	335	Pyrrh.	*Quodcumque libuit facere victori licet.*
	336	Ag.	*Minimum decet libere cui multum licet.*
Ag.	271 sq.		*id esse regni maximum pignus putant, si quidquid aliis non licet, solis licet.*
Dial.	XI 7, 2		*Caesari quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent.*
Oct.	455	Ner.	*Calcat iacentem vulgus.* Sen. *Invisum opprimit.*
	456	Ner.	*Ferrum tuetur principem.* Sen. *Melius fides.*
	458	Ner.	*Metuant necesse est.* Sen. *Quidquid exprimitur grave est.*
	461	Ner.	† *Despectus ensis faciet.*

Oct. 526 *continuit imperium metus.*

Phoen. 654 sq. ETE. *Regnare non vult esse qui invisus timet:*
simul ista mundi conditor posuit deus,
odium atque regnum: regis hoc magni reor,
odia ipsa premere. multa dominantem vetat
amor suorum; plus in iratos licet.
qui vult amari, languida regnat manu.

Phoen. 660 IOC. *Invisa numquam imperia retinentur diu.*

Thy. 207 sq. *Quos cogit metus*
laudare, eosdem reddit inimicos metus.

Tro. 258 sq. *violenta nemo imperia continuit diu,*
moderata durant;

Hf. 342 sqq. *omnis in ferro est salus:*
quod civibus tenere te invitis scias
strictus tuetur ensis.

Oed. 703 sqq. CR. *Sic odia fiunt.* OED. *Odia qui nimium timet*
regnare nescit: regna custodit metus.
CR. *Qui sceptra duro saevus imperio regit,*
timet timentes: metus in auctorem redit.

De ira II 11, 3 *Quid quod semper in auctores redundat timor*
nec quisquam metuitur ipse securus.

Epist. 105, 4 *adice nunc, quod qui timetur, timet.*

Thy. 215 sq. *Ubi non est pudor*
nec cura iuris sanctitas pietas fides.
instabile regnum est.

Oct. 459 SEN. *Iusta impera.*
460 SEN. *Quae consensus efficiat rata.*

Thy. 213 *Rex velit honesta: nemo non eadem volet.*

Oct. 471 (NER.) *quidquid excelsum est cadat.*

Oed. 702 (OED.) *omne quod dubium est cadat.*

Oct. 472 sqq. *Pulchrum eminere est inter illustres viros,*
consulere patriae, parcere afflictis, fera
caede abstinere tempus atque irae dare,
orbi quietem, saeculo pacem suo.

Hf. 745 sq. *sanguine humano abstine*
quicumque regnas.

De ira II, 34, 1 *Ergo ira abstinendum est . . .*

Med. 222 sqq. *hoc reges habent*
magnificum et ingens, nulla quod rapiat dies:
prodesse miseris, supplices fido lare
protegere.

Oct. 477 sq. *sic ille patriae primus Augustus parens*
complexus astra est colitur et templis deus.

De ira III 23, 4 *Multa et divus Augustus digna memoria fecit*
dixitque, ex quibus appareat iram illi non imperasse.

Locis, quos extremos posui, ubi de clementia Augusti fit mentio, addendus est De clem. I 10. Sed ut hoc loco brevi spatio post prior Augusti crudelitas commemoratur his verbis: *fuerit moderatus et clemens, nempe post mare Actiacum Romano cruore infectum, nempe post fractas in Sicilia classes et suas et alienas, nempe post Perusinas aras et proscriptiones*, ita in Octavia Nero, cum Senecae respondet, suo more de eadem re commonet 504 sqq. *ille qui meruit pia/ virtute caelum, divus Augustus, viros/ quot interemit nobiles, iuvenes senes* eqs.

Illa omnia cum nullum praebeant imitationis vestigium, parem et paene eandem patere mentem in Octaviae auctore atque in Seneca ostendunt.

Poppaeam in matrimonium ducere Nero vult, ut filius ex ea sibi nasceretur. Minus igitur libidine quam consilio pro stirpe regia suscepto adducitur. Immo ad amorem suum defendendum sanas adfert rationes v. 566 sqq. *Hanc esse vitae maximam causam reor,/ per quam voluptas oritur; interitu caret,/ cum procreetur semper humanum genus/ Amore grato, qui truces mulcet feras.* Cuius vim cum nimia severitate negat Seneca, hoc diverbium sermonem Phaedrae et nutricis in mentem ducit, quo eadem res disceptatur. Sententia similis est, etiam verba eadem sunt Phaed. 195 sq., ubi dicit nutrix *Deum esse amorem turpis et vitio furens/ finxit libido*, et Oct. 557 sq., quibus monet Seneca *Volucrem esse amorem fingit*

immitem deum/ mortalis error. Sed hoc ipso loco, quae ratio in similitudinibus inter Octaviam et reliquas tragoedias intercedat, facile perspicies. Nam quod in promptu fuerat, Neronis amorem, ut Phaedrae, libidini attribuere. servili modo non fecit Octaviae auctor, sed cautius et reverentius, ut cum imperatore, de *mortali errore* loquentem finxit Senecam. Hac quoque ratione vana illa imitandi suspicio nescio an refellatur et ad verum redigatur auctorem.

Sententiarum similitudo in Phaedra et Octavia etiam longius permanat. Chorus enim ut in Phaedra, postquam nutrix amorem deum esse negavit, Cupidinis laudem effert v. 274 sqq., itidem in Octavia vim Cupidinis canit v. 807 sqq. *invicta gerit tela Cupido* eqs.

Neronis sermo omnino gravis firmusque est suaque, quoad possit, tueri conatur consilia. Post multa tandem diverbia moras novarum nuptiarum indignatur et Senecae contradicentis sermonem abrumpit his verbis:

V. 588 sq. *Desiste tandem, iam gravis nimium mihi,*
instare: liceat facere quod Seneca improbat.

Quibus versibus nescio an ostendat Seneca suam apud Neronem auctoritatem nihil iam valuisse. Rem autem eo perductam esse Seneca, si quisquam, indicare debuit, ut se purgaret culpamque Neronis a se amoveret.

Iam vero ad ea, quae ipse secum reputat Seneca Octaviae versibus 377 sqq., perspicienda nos convertamus. Quae cum LADEK[1]) BRAUNIUM secutus contenderit e dialogo XII (ad Helviam matrem de consolatione) cc. 6—10 desumpta esse, crederes magna eos et perspicua imitantis vestigia ex illo Senecae loco repetenda in Octavia invenisse. Sed quae contulerunt nullam praebent ansam certae imitationis comprobandae, verum ostendunt quam maxime Senecae cordi fuisse ea, quae secum reputans in Octavia fingitur. Itaque haec quoque quae maxime inter se sunt similia, ad eundem auctorem rettulerim Oct. 385 sqq. *o quam iuvabat, quo nihil maius parens/ natura genuit, operis immensi artifex,/ caelum intueri. solis et currus sacros/*

[1]) L. c. pag. 76 sq.

mundique motus, siderum[1]) *alternas vices* eqs. et Dial. XII 8, 3. 4. 6. *quisquis formator universi fuit . . sive incorporalis ratio ingentium operum artifex . . . . . . mundus hic, quo nihil neque maius neque ornatius rerum natura genuit . . . . . . proinde dum oculi mei ab illo spectaculo, cuius insatiabiles sunt, non abducantur. dum mihi solem lunamque intueri liceat, dum ceteris inhaerere sideribus . . . spectare tot per noctem stellas micantis et alias immobiles.* Ex ipsa enim re effectum est, utrobique ut in Senecae mentem veniret mundus, quo nihil erat Stoicis communius. Atque ne dicam haud dissimilia saepius apud Senecam inveniri (velut Phae. 959 sqq. et De beneficiis IV 23, 2), locum adsciscam adhuc a viris doctis neglectum, quo demonstratur Senecam eo ipso tempore, quando Octaviam scriberet, eas in memoriam revocasse res, quae in Octavia commemorantur. Epistulam dico ad Lucilium 90, in qua, sic ut eo quem tractamus Octaviae loco, de hominum aureae aetatis felicitate disseritur, etsi id alia ratione fit in epistula, ut illos appareat sapientes non fuisse, »quia ignorantia rerum innocentes erant». Ex hac igitur epistula multa peti possunt verba sermoni Senecae in Octavia loquentis similia. Adferenda haec sunt: (42) *mundus in praeceps agebatur silentio tantum opus ducens. tam interdiu illis quam nocte patebant prospectus huius pulcherrimae domus. libebat intueri signa ex media caeli parte vergentia, rursus ex occulto alia surgentia.* (36) *fortunata tempora, cum in medio iacerent beneficia naturae promiscue utenda. antequam avaritia atque luxuria dissociavere mortales et ad rapinam ex consortio discurrere.* (38) *Quid hominum illo genere felicius? in commune rerum natura fruebantur. sufficiebat illa ut parens in tutelam omnium, haec erat publicarum opum secura possessio.* (40) *Terra ipsa fertilior erat inlaborata et in usus populorum non diripentium larga.* (Cfr. Oct. 403 sqq. *communis usus omnium rerum fuit;/ et ipsa tellus laeta fecundos sinus/ pandebat ultro, tam piis felix parens/ et tuta alumnis.*) (45) *illi quidem non aurum nec argentum nec perlucidos lapides in ima terrarum faece quaerebant parcebantque adhuc etiam mutis ani-*

[1]) Ita scribendum est. Vide animadversiones criticas.

malibus . . . . nondum vestis illis erat picta, nondum texebatur aurum, adhuc nec eruebatur. Cfr. Oct. 418 sq. *eruit ferrum grave/ aurumque.* Epistulae loco 26 etiam notanda est similitudo ad verba effecta: (*vis scire quid illa* sc. sapientia *eruerit, quid effecerit?*) *non arma nec muros nec bella.* Cfr. Oct. 400 sq. *non bella norant. non tubae fremitus truces,/ non arma gentes, cingere assuerant suas/ muris nec urbes.*

Similis aureae aetatis laus Phae. 525 sqq. invenitur. Et Octaviae et Phaedrae locorum partimque etiam epistulae fons est descriptio, quae exstat Ovidii Met. I 89 sqq.; ex hac versus quosdam infra ponam iisque versus ex Phaedra et ex Octavia petitos subiungam, ut plana fiat consensio.

Met. I 94 sqq. *nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,*
montibus in liquidas pinus descenderat undas
nullaque mortales praeter sua litora norant;
nondum praecipites cingebant oppida fossae;
non tuba directi, non aeris cornua flexi,
non galeae, non ensis erant: sine militis usu
mollia securae peragebant otia gentes.
ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis
saucia vomeribus per se dabat omnia tellus.
119 *tum primum . . .*
125 sqq. *tertia post illas successit aenea proles,*
saevior ingeniis et ad horrida promptior arma,
non scelerata tamen;
131 *amor sceleratus habendi.*
135 sq. *communemque prius, ceu lumina solis et auras,*
cautus humum longe signavit limite mensor.
138 *sed itum est in viscera terrae . . .*
144 sqq. *vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus,*
non socer a genero: fratrum quoque gratia rara est:
imminet exitio vir coniugis, illa mariti,
lurida terribiles miscunt aconita novercae,
filius ante diem patrios inquirit in annos.
149 sq. *et virgo caede madentes*
ultima caelestum terras Astraea reliquit.

Quibuscum conferenda sunt haec Phaedrae:

530 sq. *Nondum secabant credulae pontum rates:*
sua quisque norat maria; non vasto aggere
crebraque turre cinxerant urbes latus;
non arma saeva miles aptabat manu
nec torta clausas fregerat saxo gravi
ballista portas . . .
537 sq. *sed arva per se feta poscentes nihil*
pavere gentes . . .
544 *tum primum . . .*
540 *impius lucri furor . . .*
528 sq. *nullus in campo sacer*
divisit agros arbiter populis lapis.
555 sqq. *a fratre frater. dextera nati parens*
cecidit, maritus coniugis ferro iacet
perimuntque fetus impiae matres suos;
taceo novercam: mitior nil est feris.

Hi adferendi sunt Octaviae versus:

400 sq. *non bella norant, non tubae fremitus truces,*
non arma gentes, cingere assuerant suas
muris nec urbes.
404 sq. *et ipsa tellus laeta fecundos sinus*
pandebat ultro . . .
414 sq. *vomere immunem prius*
sulcare terram . . .
407 sq. *tertium sollers genus*
novas ad artes exstitit, sanctum tamen.
420 *partita fines . . .*
417 *sed in parentis viscera intravit suae . . .*
423 *neglecta terras fugit et mores feros*
hominum et cruenta caede pollutas manus
Astraea virgo.

Quoniam igitur tam accurata et multiplici imitatione eundem Ovidii locum expresserunt et Octaviae auctor et Seneca, eiusdem

scriptoris statuendi suspicio augetur. Quae etiam firmabitur, cum viderimus et Senecam et Octaviae auctorem in illis descriptionibus conscribendis etiam Vergilium, quem imitatus est Ovidius, respexisse. versus Georg. I 125 sqq., quos Senecam cognovisse vel ex eo apparet, quod eos ipsos in epistula supra commemorata posuit. Sunt autem hi:

Georg. I 125 sqq. *nulli subigebant arva coloni;*
ne signare quidem aut partiri limite campum
fas erat: in medium quaerebant, i p s a q u e t e l l u s
omnia liberius n u l l o p o s c e n t e ferebat.

Cfr. Phae. 537 *p o s c e n t e s n i h i l.*

Alter Georgicon locus, quem commemoravit in illa epistula Seneca et respexit in Senecae secum loquentis sermone auctor Octaviae, hic est:

Georg. I 139 sq. *tunc l a q u e i s captare feras et f a l l e r e visco inventum . . .*

Cfr Oct. 411 sqq. *vel calamo levi*
*d e c i p e r e volucres * * **
tenere l a q u e o . . .

Etiam ea quae de hac re dicit Tibullus, et Seneca et Octaviae auctor videntur respexisse. Cfr. Tib. I 3, 43 sq. *non fixus in a g r i s,/ qui r e g e r e t certis finibus arva, l a p i s* cum Phae. versibus 528 sq. supra allatis et Tib. I 3, 41 *illo non validus s u b i i t i u g a tempore t a u r u s* cum Oct. 413 sq. *premere s u b i e c t o s i u g o/ t a u r o s feroces.*

His omnibus nisi plus evincitur, id saltem perspicuum fit, ea quae secum ipse reputans in praetexta fingitur Seneca, Senecae sensus quam maxime prae se ferre. Et quamquam tam implicita est et fallax in huiusmodi rebus quaestio, ut nihil per se valeant indicia, tamen inter alia multa argumenta etiam his aliquam iure nos vim tribuere videmur.

P r a e f e c t u s, qui in Octavia in scaenam adducitur, non est videlicet Tigellinus, sed Faenius Rufus[1], qui eodem ipso anno

[1]) Vide Prosopographiam Imperii Romani s. v. *Faenius.*

praetorio praefectus est, cuius »segnem innocentiam» commemoravit Tacitus. Quae morum notatio ab eo, qui in fabula praefecti personam gerit, aliena non fere est.

P o p p a e a m in scaena cum Nerone agentem cur non effinxerit praetextae auctor, vix quaeres, si consideraveris scriptorem ubique noluisse imperatoris existimationem laedere. Quam non leviter obtrectavisset, si quod fecit Tacitus (Ann. XIV 61 sq.), principem feminae consilia secutum induxisset. Itaque Octaviae ore aptius enuntiatur, quid apud Neronem valuerint Poppaeae consilia (v. 131 sqq.): *inimica victrix imminet thalamis meis/ odioque nostri flagrat et pretium stupri/ iustae maritum coniugis poscit caput.*

Postremo de laudibus, quibus Claudium efferunt Octavia nutrixque eius, hoc loco dubito an dicendum videatur. Huc pertinent verba Octaviae querentis, quod patrem necavit Agrippina.

V. 26 sqq. *modo cui totus paruit orbis*
ultra Oceanum
cuique Britanni terga dedere,
ducibus nostris ante ignoti
iurisque sui.

Idem queritur nutrix v. 41 sqq.:

en qui Britannis primus imposuit iugum,
ignota tantis classibus texit freta
interque gentes barbaras tutus fuit
et saeva maria, coniugis scelere occidit;

ubi in alia quamvis re eadem inter se opponuntur, quae Ag. v. 39 sqq.:

rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,
cuius secutae mille vexillum rates
Iliaca velis maria texerunt suis,
. . . . .
adest — daturus coniugi iugulum suae.

Claudii illae laudes in mentem ducunt epigrammata quaedam in Anthologiae carminibus nobis tradita, quae a Seneca in Corsica

exsulante, ut principi blandiretur, conscripta esse O. ROSSBACH et E. HERFURTH haud scio an satis probavisse videantur. Ex quibus haec excerpsi[1]):

419, 3 sq. *Oceanusque tuas ultra se respicit aras:*
qui finis mundo est, non erat imperio.
420, 1 sqq. *victa prius nulli, nullo spectata triumpho*
inlibata tuos gens patet in titulos.
fabula visa diu medioque recondita ponto
libera victori quam cito colla dedit!
421, 2 *Oceanus medium venit in imperium.*
422, 1 sq. *libera, non hostem, non passa Britannia regem*
externum, nostro quae procul orbe iaces . . .
423, 5 sq. *at nunc Oceanus geminos interluit orbes;*
pars est imperii, terminus ante fuit.
425, 3 sq. *Oceanus iam terga dedit, nec pervius ulli*
caesareos fasces imperiumque tulit.
426, 7 sq. *conspectu devicta tuo, Germanice Caesar,*
subdidit insueto colla premenda iugo.

Quoniam unus est idemque sonus harum laudum atque earum, quas ex Octavia attulimus, audacius non videtur contendere et Octaviam et haec epigrammata a Seneca scripta esse. Etiam Medeae v. 595 sq. *parcite, o divi, veniam precamur,/ vivat ut tutus mare qui subegit* nonnulli ad expeditionem Claudii Britannicam spectare credunt. Quod autem mortuo Claudio eum ludibrio habuit Seneca illamque expeditionem irrisit, nihil impedivit, quin in praetexta Octaviam et nutricem Claudium laudantes faceret. Nam postquam Neronem maiorem exsistere tyrannum animadvertit, sine dubio etiam de Claudio leniora sentire coepit. Et veram Octaviam eiusque nutricem consentaneum est de rebus a patre gestis eadem sensisse, quae ipse in oratione Lugduni reperta protulit Claudius[2]): *iam si narrem bella, a quibus coeperint maiores nostri, et quo processerimus, vereor, ne nimio insolentior esse videar et*

[1]) RIESE, Anthologia Latina num. 419–426.
[2]) Col. I lin. 38 sq.

quaesisse iactationem gloriae prolati imperi ultra Oceanum. Praeterea cum de gentis Claudiae fatis, non solum de Octavia filia loquatur scriptor, tam tragicae Musae quam Senecae philosopho haec convenire nemo negabit.

De synonymis ceterisque vocabulis.

In Octavia et ceteris Senecae fabulis inter se comparandis cum de sermone agitur, nostra maxime interest cognoscere, quibus verbis Seneca auctorque praetextae uti maluerint. Nam in vocabulorum delectu propriam auctoris quasi naturam sentiendi et dicendi rationem cognosci nemo est qui neget. Itaque vocabulis Octaviae ad Senecae usum relatis nonnihil speramus nos allaturos esse ad quaestionem de auctore praetextae diiudicandam. Quorum primum per singula genera nobis ratio videnda est, deinde in continuata oratione. Incipimus autem a s u b s t a n t i v i s, quae vocant, s y n o n y m i s.

Filius et *filia* iam apud Vergilium *nato* et *natae* magnopere recesserunt, ita ut terna fere *nati* nomina pro singulis *filii* nominibus inveniantur. *Natam* quoque paulo saepius quam *filiam* apud Vergilium invenies. Ovidius iam decies tantum, quam quantum *filii* nomine, *nati* voce usus est (circa 150[1]): 15), *nata*que paulo saepius quam Vergilius. Verum in vitandis *filio filia*que longissime progressus est Seneca, cuius in tragoediis *filius* nusquam, *filia* non plus quam semel (Ag. 158) invenitur. Qua in re ceteris est simillima Octavia, cui eadem *filii* et *filiae* nomina desunt. *Natus* et *nata* autem in Senecae tragoediis cum Octavia frequentissimo versantur usu (*natus* 20^{ies} in Octavia, in ceteris circiter 200^{ies}; *nata* in Octavia 5^{ies}, 23^{ies} in ceteris). Neque verum

[1]) Quo numero non comprehenduntur loci, ubi *natus* cum ablativo ponitur neque iam est substantivum, velut cum quis appellatur: *nate dea*, qualia praeterea habet Ovidius ad 40.

praetereundum est Lucanum quoque *filii* et *filiae* vocabulis usum non esse. Similis fuit usus posterorum qui in sublimi poesis genere versabantur, velut Claudiani, qui *filii* nomen non saepius quam semel posuit.

Cuius rei originem et progressionem persecutus hanc invenies causam, quod *filius* et *filia* vi imminuta sublimi poesis generi tritiores videbantur. (Postea igitur in lingua Francogallorum his nominibus *pueri* et *puellae* vis accessit). Ad haec nomina in simili poesi vitanda aliquid valuit etiam id quod casuum formae plurimae non sunt aptae ad metrum dactylicum, quo usi sunt Vergilius et Ovidius, quos maxime imitabantur posterioris aetatis poetae. Causam autem praecipuam non hanc fuisse, sed quam diximus, id ostendit, quod desunt *filius filia*que Senecae nullis metricis rationibus impedito, quin iis uteretur. Contra e. gr. Iuvenalis, licet usus sit metro dactylico, *filium* 11^{ies} et *filiam* 4er habet, cum *natus* 4er et *nata* nusquam inveniatur.

Praeter *patris* et *matris* nomina Seneca, ut ii quos imitatur, Vergilius et Ovidius, *genitoris* et *genetricis* nominibus atque *parentis* nomine cum masculino tum feminino usus est. Ex quibus masculini generis nomina toties fere in Octavia leguntur quoties omnino in ceteris tragoediis, sed *parentem* feminini generis et praecipue *genetricem* in Octavia, si cum ceteris fabulis contuleris, multo saepius invenies, adeo ut *genetrix* (11^{ies}) frequentius legatur quam *mater* (9^{ies}), cum in ceteris tragoediis omnino dena sint matris nomina pro singulis *genetricis* nominibus. (Eadem fere ratione his verbis usi sunt Vergilius et Ovidius, quorum ille *matrem* circa 110^{ies}, *genetricem* 15^{ies}, hic *matrem* 300^{ies}, *genetricem* 35^{ies} habet. Lucanus *genetricis* nomine non est usus, cum *mater* frequenti apud eum versetur usu.)

Causam cum quaerimus, cur nomen *genetricis* tam frequenti usu in sola Octavia versetur, occurrit animo Vergilius hoc nomine tantum de deabus usus, cum in Octavia tantum de Augustis, de Messalina et Agrippina atque semel de Poppaea ponatur. Praeterea quo uno Octaviae loco dea mater significatur, idem *genetricis* nomen legitur (v. 697 *genetrix amoris, Venus*). De matribus igitur Augustis quod auctor Octaviae eodem est vocabulo usus quo deae-

designantur, cum apparet domum Augustam quam maxime venerari atque in aula consuevisse exquisitis de domo Augusta appellationibus uti. Atque quoniam ex aliis quoque domus Augustae appellationibus cognoscitur auctorem Octaviae in sermone, qui in aula versabatur, bene exercitatum esse[1], etiam hoc *genetricis* vocabuli usu ea quodam modo videtur firmari sententia, qua ad Senecam refertur Octavia.

Coniunx masculine frequenter in Senecae tragoediis et Octavia ponitur. *Maritus* rarior est, ita ut bina *coniugis* nomina pro singulis *mariti* vocabulis legantur. Usitatior est *coniunx* masculini generis *marito* etiam apud Vergilium, Lucanus autem illud nomen semel vel bis ponit *mariti* voce frequenter usurpata.

Navis et *carina* raro (illud 8ies, hoc 7ies) in Senecae tragoediis ponuntur. *Ratis* autem circa 60ies usurpatur. Eadem est ratio in Octavia, ubi *navis* deest et *carina* bis legitur; *ratis* autem 8ies invenitur. Apud Vergilium *navium* numerus *rates* valde superaverat, his tantum dimidiam partem *navium* efficientibus. Contra Ovidius iam *ratis* nominibus binis pro singulis *navis* nominibus usus est. Seneca Octaviaeque auctor in hac quoque re longissime est progressus, cum e. gr. Lucanus eadem fere ratione qua Ovidius haec vocabula usurpavit.

Ex vocabulis *maris* vim habentibus praeter hoc nomen usitatum est in tragoediis *pontus*; tum numero sequuntur *pelagus*, *aequor*, *altum*, denique *salum*. Eadem ratione his nominibus auctor Octaviae usus est, nisi quod *pontum*, qui in ceteris 56ies invenitur, prorsus vitavit. Attamen rationem probabilem, cur id fecerit, afferre possumus. Nam *pontus* cum in carminibus quibus Graecos imitabantur poetae velut in odis Horatii et in poematis Vergilii et Ovidii haud raro inveniatur, Horatii satiris et epistulis deest, neque apud Tacitum ponitur, qui *pelagi* nomen bis vel ter usurpat. Simile exemplum ex Senecae tragoediis afferri potest, ex fabula Agamemnone, ubi *ponti* nomen non saepius quam ter idque uno orationis tenore invenitur: versibus 471. 499. 517, qui omnes in narratione Eurybatis tempestatem describentis ex Graecis fontibus

[1]) Vide pag. 9 sq.

conscripta exstant. Proxime igitur accedit Octaviae Agamemnon. Atque quod in Troadibus quoque *ponti* numerus minor est quam *pelagi*, facere non possumus, quin hunc usum in his tragoediis observatum ad eam referamus rationem, qua in his iisdem tragoediis etiam adiectiva in *-ficus* et *-fer* exeuntia vitata sunt. De quibus vide infra p. 42 sq.

Notandum est autem Octaviae auctorem in ceteris vocabulis *maris* vim habentibus eandem sequi rationem quam Senecam cum e. gr. Lucanus his vocibus hoc usus est ordine: *aequor* frequentissime, tum aequo fere numero *pelagus*, *pontus*, *mare*.

Cruoris et *sanguinis* nomina aequo fere numero sunt in Senecae tragoediis. Eadem est ratio in Octavia. Contra alii omnes poetae multo frequentius *sanguinis* nomen quam *cruoris* usurpaverunt, velut Vergilius quinis fere *sanguinis* nominibus pro singulis *cruoris* vocabulis usus est itemque Ovidius, apud quem *sanguinis* nomen 226ies, *cruoris* vocabulum 54ies invenies. Lucanus *cruoris* vocem 41ies, *sanguinis* 124ies habet. Ceterorum usus tabula in Thesauro s. v. *cruoris* exstante continetur.

Gladii vocabulo et Seneca et Octaviae auctor uti noluerunt (invenitur in Senecae tragoediis 6ies, deest Herculi furenti, Phaedrae, Agamemnoni, Oedipo, Herculi Oetaeo et Octaviae), *ferrum* autem apud Senecam invenitur 92ies *ensis*que 42ies; in Octavia ii numeri sunt 14 et 9. Eadem fere ratione qua Seneca et Octaviae auctor haec nomina usurpat Vergilius: *ferrum* 125ies, *ensem* 65ies, *gladium* 5ies habet. Contra Ovidius *ense* et *gladio* frequentius usus est (*ferro* 125ies, *ense* 90ies, *gladio* 30ies). Lucanus autem ab horum usu ita differt, ut gladii nomine aequo fere numero ac *ensis* vocabulo usus sit (35 fere: 40). *Ferrum* is quoque frequentissime usurpat (circiter 90ies).

Metus nomine Seneca in tragoediis omnino bis tantum usus est quam quantum *timoris* vocabulo eademque ferme est ratio in Octavia. Quorum nominum usum ita variant poetae Romani, ut Lucano ad Senecae rationem accedente ternis *metus* nominibus pro singulis *timoris* usus sit Vergilius, cum apud Ovidium aequo fere numero inveniuntur. *Metuendi* autem et *timendi* verbis et Vergilius et Ovidius et Seneca auctorque Octaviae aequo fere usi

sunt numero. Contra Lucanus bis tantum *timendi* verbo, quam quantum *metuendi* utitur.

Astri (tantum pluraliter positi) et *sideris* (plerumque pluraliter) nominibus pariter fere in tragoediis usus est Seneca, (illo 50^{ies}, hoc 40^{ies}) ita tamen, ut *astrum* paulo sit frequentius; *stella* multo rarius, in summa 15^{ies}. invenitur (semel in Thyeste, Phoenissis, Phaedra, Hercule Oetaeo, deest Oedipo). Eadem est ratio in Octavia, ubi et *astrum* (semper plur.) et *sidus* (5^{ies} plur.) pariter 6^{ies} ponuntur; *stella* praetextae deest. Ceteri autem poetae praeter Statium et Martialem omnes *sidus* frequentius posuerunt quam *astrum*, velut apud Vergilium *sidus* ceteris vocabulis eandem vim habentibus adeo praestat, ut 80^{ies} pro 30 *astris* et 12 *stellis* inveniatur. Ovidius etiam frequentius quam Vergilius *sideris* nomine est usus (113^{ies} fere pro 24 *astri* nominibus); *stella*, quae 30^{ies} fere legitur, usitatior est *astro* apud Ovidium. Lucanus quoque 45 habet *sidera* pro 23 *astris*. *Stella* apud eum 10^{ies} fere invenitur. De ceterorum auctorum usu vide Thesaurum s. v. *astrum*.

Haec synonymorum substantivorum exempla ex Senecae tragoediis et Octavia adferre satis habui, ut ostenderem, ubi Seneca suum proprium tenet usum, ei praetextam obsequi; neque tamen proprium quendam usum ex suo argumento quin petierit Octaviae auctor, impeditum est. Vidimus Octaviam multo propius ad Senecae usum accedere quam Lucanum, quem tamen et generis communitate et societate studiorum cum eo coniunctum esse deque re publica idem sensisse eiusque imitando vestigia secutum esse constat.

Substantiva tractantibus nobis animus attendendus est etiam ad frequentissimum p l u r a l i s n u m e r i usum, in quo Seneca in tragoediis Octaviaeque auctor longius quam alii poetae aequales et aetate priores progressi quaedam nomina, quae apud alios poetas passim singulari numero posita invenies, in his fabulis plurali tantum ponunt, etiam tum cum de una et certa re loquuntur. Quorum in numero sunt:

ara, qua Vergilius et Ovidius et Lucanus cum pluraliter tum singulariter uti solent. Invenitur apud Vergilium 20^{ies} singulariter,

60^{ies} fere pluraliter, apud Ovidium pariter fere, apud Lucanum et e. gr. Martialem eadem fere ratione qua apud Vergilium. Seneca Octaviaeque auctor singularem nusquam habent numerum *arae* vocis.

templum, quod singulari numero in his tragoediis uno loco Thy. 902 exstat, apud Vergilium multo saepius singulariter quam pluraliter ponitur (27: 14), apud Ovidium iam inversa ratione dimidio fere minus singulariter quam pluraliter, utroque tamen numero frequentissime, invenies (sing. 50^{ies} fere, plur. 90^{ies}). Longius progressi sunt Lucanus et Martialis, qui ter aut quater fere tantum pluralis numeri nominibus quam quantum singulariter positis usi sunt, longissime autem, ut diximus, in hoc usu procedit Seneca cum Octaviae auctore. Originem huius pluralis numeri usus sequi ab eo quod nobis proposuimus est alienum. Id tantum dicimus, pertinere huc usum *delubri* et *simulacri*, quae nomina apud omnes fere aetatis Augustorum poetas plurali tantum numero usurpantur. Unus Vergilius singulis locis singularem habet. Tacitus autem singulari saepius utitur numero quam plurali, neque hoc pro illo ponit[1]). Octaviae in *arae* et *templi* vocabulis tantum pluraliter positis cum Senecae tragoediis similitudo bene est notanda[2]).

Item magna est copia eorum substantivorum, quibus plerumque pluraliter usi sunt Seneca et Octaviae auctor. Quorum in numero sunt: *fatum*[3]) *fax flamma fluctus gens signum taeda telum tergum umbra venenum ventus votum;* praeterea abstracta quae vocant substantiva in his tragoediis passim pluraliter ponuntur. Neque vero hic pluralis numeri usus ullo modo ab omnium post liberam rem publicam poetarum usu differt. Unum notandum est, quod *veneni* vocabulum pluraliter tantum ponitur in Medea, Her-

[1]) P. MAAS in opusculo „Studien zum poetischen Plural bei den Römern“ haec nomina non commemoravit.

[2]) DRAEGER hoc de usu Senecae nihil habet cognitum. Vide Syntaxin latinam[2] p. 8.

[3]) In Octavia *post fata* saepe usurpatum eandem habet vim quam *post mortem* (v. 97. 112. 289. 529). Item Tro. 654, Ag. 38. Auctor est Verg. Aen. IV 20 *miseri post fata Sychaei*.

cule furenti, Agamemnone, in Octavia (omnino in novem tragoediis 6ies plur., quater sing., in Oct. bis plur., numquam sing.). Vergilius (11 sing., 5 plur.) et Ovidius (18 sing., 16 plur.) et Lucanus (25 fere sing., 10 plur.) et e. gr. Martialis (8 sing., 1 plur.) plerumque singulari usi sunt numero[1]).

Hoc loco non alienum videtur Senecae consuetudinem nomina cumulandi adferre, velut cum dicitur Agam. 112 sq: *periere mores ius decus pietas fides/ et qui redire cum perit nescit pudor.* In Octavia quoque nonnullis substantiva cumulantur locis, ex quibus propter similitudinem cum Agamemnonis versu notandus est v. 547 *probitas fidesque coniugis mores pudor/ placeant marito*, ubi eadem sunt tria substantiva. Easdem habuisse praetextae auctorem cumulandi rationes neque imitatione Senecam consecutum esse ostendit Octaviae v. 176 *dolor ira maeror miseriae luctus dabunt*, in quibus verbis nulla imitationis vestigia, similis tantum Senecae vis rhetorica apparet. Qua in re notandum est cumulata nomina a ceterorum eiusdem generis poetarum usu abhorrere[2]).

A d i e c t i v o r u m in Octavia usum cum Senecae usu comparanti frequentes offeruntur similitudines, quod eadem eisdem substantivis attribuuntur epitheta. Earum haud parvum numerum collegit LADEK dissertationis commemoratae paginis 52 sqq., ubi omnino Senecae imitationis vestigia in Octavia reperta persecutus est, neque tamen copiam exhausit. Sed hae similitudines quia plurimae communes sunt poetarum, intellegas nihil valere ad imitationem probandam. Itaque cum contulit LADEK Oct. v. 86 sq. *vincam s a e v o s ante l e o n e s/ tigresque truces fera quam s a e v i/*

[1]) Usus substantivorum in Senecae tragoediis evolventi aliquantum adfert adiumenti DELHORBII index substantivorum Senecae (De Senecae tragici substantivis. Diss. Bernae 1896), quo tamen ne temere utaris cavendum est.

[2]) Cfr. MUELLERI De re metrica 2 ed. p. 178: „Adiciemus quasi pro mantissa displicere, non quidem metricas ob causas, sed ut pedestri magis sermoni apta cumulata nomina seu verba, qualia cum haud raro admisissent antiquissimi auctores metri explendi causa, ab insequentibus praeter satiricos et Senecam idem plane fuit alienum."

corda t y r a n n i[1]) cum Tro. 796 *saevus . . leo*, Oed. 97 *saevi leonis* et Hf. 936 sq. *non saevi ac truces/ regnent tyranni*, HO. 6 *saevi tyranni*, 1869 *saevos . tyrannos*, neglexit hoc epitheton his substantivis apud poetas accedere solere, velut dicit Vergilius Aen. IX 792 *saevum . leonem* itemque Lucanus I 655 *saevum . leonem*, IX 947 *saevos . leones*. Idem VIII 835 *saevo . tyranno*. *Saevus* attribuitur *novercae* Oct. 21 *saevae . novercae*, 170 sq. *saeva . . . noverca*, quibuscum iubet LADEK conferri Phae. 356 sq. *saevas . novercas*. Sed alii quoque saepe has voces iunxerunt, velut Verg. Georg. II 128, Luc. IV 637 *saevae . novercae*. Multa quae contulit LADEK similia sunt, velut Oct. 55 sq. *nefandum . . . scelus*, 502 *nefando . scelere* ~ Hf 1004 *scelus nefandum* nihil ad imitationem probandam valent collatis (Verg.) Cir. 323 *scelus . nefandum* et Lucani I 667 *sceleri . nefando*. Item Oct. 304 *infandi sceleris* ~ Ag. 983 *sceleris infandi* collato Cir. 239 *scelere infando*. Oct. 826 *impium . scelus* ~ HO. 1719 sq. *impium/ scelus*, Oct. 598 *impiae caedis* ~ Ag. 219 *caede . impia* collatis Hor. carm. III 24, 26. Liv. V 4, 14. Curt. VIII 8, 4. Item *facinus ingens*, quae exstant verba Oct. 147 et Thy. 234, usitata sunt, cfr. Curt. VIII 3, 14. Mela II 26. Usitata sunt etiam haec verba coniuncta: Oct. 153 *scelerum capacis* (codd. *capaxque scelerum*) ~ Oed. 930 *scelerum capax*, Phoen. 159 *scelerum capax*, HO. 1419 *capax scelerum*. Cfr. Pseud. Quint. decl. XI 11 *capax omnium malorum scelerumque*.

Specie magna est similitudo inter Octaviae verba v. 164/ *fasque omne rupit* et Thy. 179/ *fasque omne ruptum* (Hf. 658/ *fas omne*, Med. 900/ *fas omne*, Thy. 47 sq. *et fas et fides/ iusque omne pereat*), quae tamen non tanti est comparato Verg. Aen. III 55/ *fas omne abrumpit*.

Item communes poetarum sunt hae similitudines a LADEK allatae:

Oct. 192 *coniugis castae* ~ Phaed. 226 *coniugi castae*. Cfr. Phaedri app. 6, 9 *castas coniuges*.

Oct. 22 *vultusque truces*, 109 sq. *tumidos et truces . . vultus tyranni*, 437 *trucique vultu* ~ Phaed. 692 *vultu truci*, Hf. 371 *truci*

[1]) *saevi — tyranni* eadem anapaesti sede ponuntur Octaviae v. 304.

vultu, Troad. 1152 *truci vultu*. Thy 609 *inflatos tumidosque vultus*. Cfr. Ovid. Heroid. IV 73 *vultum . trucem*, Trist. V VII 17 *trux vultus*. (Mart. V, 8, 6 *tumido . ore*).

Oct. 779 *pectore anhelo* ~ HO. 1414 *anhelum pectus* (Oed. 38, Ag. 713 *anhela corda*). Cfr. Verg. Aen. VI 48 *pectus anhelum*.

Oct. 436. 778 *gressu . attonito* ~ Med. 675 *attonito gradu*. Cfr. Val. Fl. VIII 21 *attonito . pede*.

Oct. 674 *gravi . metu* ~ Tro 315. 1072 *gravi metu*, Ag. 246 *graves . metus*. Cfr. e. gr. Tac. Ann. XVI, 5, 11 *gravior . metus*.

Oct. 115. 170 *tristis umbra*, 958 *tristes . ad umbras* ~ HO. 937 *umbra tristis*. Cfr. Verg. Aen. V 734 *tristes umbrae*, VI 866 *tristi umbra*. — Oct. 79 *qui me Stygias mittet ad umbras*[1]) ~ HO. 1983 *numquam Stygias fertur ad umbras* (Phoen. 234 *non mitto ad umbras Ditis aeternas*). Cfr. Ovid. Met. I 139 *Stygiis admoverat umbris*. Luc. V 667 *eam Stygias . . ad umbras*. VI 569. VII 612. [IX 818] *Stygias . ad umbras*. VI 653 *Stygias . . . umbras*.

Oct. 391 *caecum chaos* ~ Oed. 572, HO. 1134 *caecum chaos*, Med. 741 *chaos caecum*. Cfr. tamen Sil. XI 453 *chaos, caecam quondam sine pondere molem*.

Oct. 224 *lux alma* ~ Hf. 592 *lucis almae*, Ag. 726 *lux alma*. Cfr. Verg. Aen. I 306. III 311. VIII 455 *lux alma*. XI 182 sq. *almam . lucem*.

Oct. 3 sq. *Titan . . . d i e m/ reddit c l a r u m* ~ Med. 5 *c l a r u m-que Titan dividens orbi d i e m*, Hf. 821 *clarum diem*, Troad. 756 *claro die*. Cfr. Verg. Aen. V 43 Luc. VII 787. IX 839 *clara dies*.

Oct. 160. 285. 573 *sancta pietas*. ~ Phoen. 455, Phaed. 903 *sancta pietas*. Cfr. e. gr. Mart. VIII 15, 7 *sancta . pietate*.

Oct. 388 *alternas vices* ~ Hf. 377, Phaed. 1028 *vicibus alternis*, Phaed. 411, Ag. 561, Thy. 25 *alterna vice*, Thy. 133 *alternae . . vices*. Cfr. Ovid. Epist. ex Pont. IV, II, 6 *alternas . vices*, Luc. I 410 *alternis vicibus*.

---

[1]) In paucis libris manu scriptis pro *umbras* scribitur *undas*, quocum conferri iubet LADEK Hf. 185 *Stygias . . undas*, Med. 804 sq. *Stygia . ab unda*. Etiam haec vocabula saepe a poetis coniunguntur, velut a Lucano VI 749 *Stygias . undas*.

Oct. 751 *aeternae domus* ~ Phae. 1241 *aeterna domo*. Cfr. Thesaurum s. v. *aeternus*.

Oct. 230 *ignibus . sacris* ~ Med. 841 sq. *sacros . ignes*[1]). Cfr. Verg. Georg. III 566 *sacer ignis*. Aen. VI 246 *ignibus . sacris*.

Oct. 717 sq. *placida . quiete* ~ Ag. 60 *placidam . quietem*. Cfr. Verg. Aen. I 691. IV 5. Cir. 343 *placidam . . quietem*. Aen. V 836. IX 187 *placida . quiete*.

Oct. 34 *fragili bono* ~ Phae. 773 sq. *bono . fragili*. Cfr. Ovid. art. amandi II 113 *bonum fragile*[2]).

Oct. 335 *hac sum, hac sum, d i g n a c a r i n a* ~ Med. 363 *merces prima d i g n a c a r i n a*. Cfr. Val. Fl. V 472 *quem prima dignum statuere carina*[3]).

Oct. 314 *placidos . portus* ~ Ag. 592 *portus . placidus*. Cfr. Luc. VI 803 sq. *placido . . sinu*[4]).

Adicere liceat hoc loco nonnulla substantiva epithetorum loco in Octavia posita, quae ad imitationem quandam Senecae rettulit LADEK, quae tamen usitata sunt apud scriptores Romanos: Oct. 385 sq. *parens Natura* ~ Phaed. 959 *parens Natura*[5]). Cfr. e. gr.

---

[1]) Addi potest Oed. 187 *sacer ignis*.

[2]) Hunc Ovidii locum *forma bonum fragile est*, nisi fallor, respexit Seneca illo Phaedrae loco *res est forma fugax: quis sapiens bono /confidat fragili*.

[3]) Quo loco tamen Valerium Senecam imitatum esse verisimile est.

[4]) Similia addi poterant a LADEK non allata, velut: Oct. 44 *saeva maria*, 356 *saevi . maris*, 222 *saeva . freta* ~ Thy. 361 *saevo . freto*. Cfr. tamen Luc. V 692 *saevo . mari*. Ovid. trist. V 9, 18 *freta saeva*. — Oct. 530 *saevo . ense*, 733 *ensem . . saevum*, 796 *saevo . . ferro* ~ Thy. 573 *saevi . ferri*. Cfr. Luc. V 61 *saevum . . ensem*. VII 313 *saevum . ferrum*. — Oct. 419 *saevas . . . manus* ~ Oed. 1029 *saeva . . manu*. Cfr. Luc. I 113 *saeva . manu*. — Oct. 130, 821 *nefas tantum* ~ Thy. 624, 689, 1006. Hf. 632, Phaed. 153 *tantum nefas*. Cfr. Verg. Aen. IV 306. Lucan. V 203 *tantum . nefas*. — Oct. 723 *vultu minaci* ~ Sen. de ira I 1, 3 *minax vultus*. Cfr. Luc. II 509 *vultu . . minaci*. IV 164 *vultus . . minaces*. — Oct. 224 *roscidae nocti* ~ Agam. 816 *roscidae noctis*. Cfr. Plin. Nat. hist. II 153. XVIII 260 *noctibus roscidis*. Sil. V 24 *nox roscida*.

[5]) In Oct. vv. 385-390 et Phaed. 959-965 magna inest sententiarum similitudo, de qua infra in capite quo criticae observationes continentur disseretur. Quam quoniam non perspexit LADEK, binorum vocabulorum usitatissimorum similitudinem notare non debuit.

Luc. X 238 *natura parens*. — Oct. 300 *victrix dira libido* ~ Thy. 46 *libido victrix*. Cfr. Liv. I 58, 5 *velut victrix libido*.

Oct. 500 (Caesar) *gentium domitor* ~ Hf. 619 (Hercules) *domitor orbis*. Cfr. Luc. VIII 553 *domitor mundi* (Pompeius). Idem IX 1014 *terrarum domitor* (Caesar). — Oct. 488 *pacis auctor* ~ Hf. 250 *pacis auctorem*, Phoen. 349 *auctor . . pacis*. Cfr. Thesaurum s. v. *auctor*, unde haec verba ita coniuncta usitatissima fuisse apparet.

Hae igitur similitudines quia suspicionem imitationis per se non admittunt, id ostendunt, eadem epitheta, quae in deliciis habuit Seneca, in Octavia quoque accedere solere substantivis.

Neque vero id ad imitationem referre licet, quod in Octavia etiam frequentius quam apud Senecam epitheta ad morum vitia aut ad adversam fortunam pertinentia usurpantur[1]), velut *saevus* 31ies, *dirus* 16[19]ies, *ferus* 14ies, *impius* 10ies, *trux* 8ies, *invisus* 8ies, *infestus* 7ies, *nefandus* 7ies, *violentus* 5ies, *infandus* quater, *cruentus* quater, *crudelis* ter, *scelestus* bis, *gravis* 25ies, *miserandus* 10ies, *miser* 7ies, *infelix* 6[7]ies, *trepidus* 6ies. Quorum frequentia posita est in ipso argumento praetextae, quod auctor ex sua ipse aetate, non ex Graecis tragoediis sumpsit.

Eadem autem ratione in Octavia substantiva malum designantia coacervavit auctor: velut *scelus* 24ies, *metus* 18ies, *poena* 17ies, *caedes* 15ies, *malum* 15ies, *timor* 11ies, *mors* 11ies, *cruor* 10ies, *sanguis* 9ies, *nefas* 9ies ponitur. Quod autem propter illa nomina tam frequentia fastidio quodam similium verborum offendit sermo Octaviae, id de statu praetextae non perfecto deducas. Non ergo conicias ut festinantem, ita imperitum fuisse auctorem artis poeticae, quippe in qua eum exercitatum fuisse ex aliis rebus satis elucet. Addendum est Senecam eanden vocem brevi oratione frequentius repetere, velut in Thyeste *regnum* 34ies: 32. 36. 124. 205. 217. 223. 237. 247. 289. 298. 302. 313. 343. 380. 390. 414. 425. 432. 444. 470 bis. 529. 534. 540. 542. 587. 612 bis. 652. 657. 818. 887. 930. 1009. Praeterea *regnandi* verbum 5ies ponit: 215. 230. 442. 472. 679. Unde apparet Senecam, quam vocem in mente habebat tamquam propriam, eam saepissime usurpavisse, neque Octaviam in illorum adiectivorum frequentia a Senecae usu abhorrere, eo minus, quod eadem ratione, licet minore numero, iis usus est Seneca. *Saevus* in Thyeste 10ies legitur, in Oedipo 14ies; *dirus* Thy. 8ies, Oed. 5ies; *ferus* Thy. 10ies, Oed. 5ies; *impius* Thy. 10ies, Oed. 8ies; *trux* Thy. semel, Oed. 5ies; *invisus* Thy. ter, Oed. semel; *infestus* Thy. bis, Oed. bis; *nefandus* Thy. ter, Oed. 5ies; *violentus* Thy. quater, Oed. nusquam; *infandus* Thy. semel, Oed. quater; *cruentus* Thy. bis, Oed. quater; *crudelis* Thy. nusquam, Oed. nusquam (legitur in aliis, velut in Troadibus ter); *scelestus* Thy. nusquam, Oed. semel; *gravis* Thy. 15ies, Oed. 21ies; *miserandus* Thy. nusquam, Oed. semel; *miser* Thy. 15ies, Oed. ter; *trepidus* Thy. 4, Oed. 2; *infelix* Thy. 3, Oed. nusquam. Quos numeros cum videmus ad Octaviae numeros respondere, tum id animadvertimus, Senecam veritate rerum in fabula actarum ductum frequentiam usus quam maxime variavisse. Illa autem adiectiva in Graecis tragoediis ideo sunt minus quam in Octavia usitata, quia alio apparatu, quo in praetexta uti non licuit, rependi facilius in fictis potuerunt rebus.

Notandum est adiectivum *crudelis*, quod, si cum ceterorum epithetorum idem significantium numeris contuleris, frequenter usurpant Vergilius et Ovidius (circiter 40ies uterque), in Octavia non saepius quam ter positum esse. Simillima est ratio in ceteris tragoediis, quarum omnium nulla saepius quam ter habet hoc adiectivum, cum synonyma multo frequentius usurpentur. Neque praetermittendum est Lucanum quoque *crudelis* adiectivum non saepe usurpavisse (10ies fere).

Adiectivum *scelestus* ab Octaviae auctore bis usurpatum, quod Vergilio et Ovidio et Lucano deest, a Senecae usu non abhorret, quippe quo usus est bis in HO., semel in Ag. et in Oed. *Sceleratus* autem adiectivum apud Vergilium Ovidium Lucanum saepius usitatum, quo caret Octavia, Seneca singulis tantum usurpavit locis Hf. 1319, Oed. 236.

[1]) Würtheim cum editionis pag. 8 censuit iusto frequentiorem usum adiectivi *diri* imitatorem prodere, inscientiam suam ipse prodidit. Nam *saevus* etiam multo frequentius usurpatur quam *dirus*, atque *ferus* aequo fere ac *dirus* numero.

Miserandus, quo adiectivo Octaviae auctor decies usus est, in Senecae tragoediis non ita frequenter ponitur atque omnino apud poetas Romanos multo rarius usurpatur quam *miser*. Velut Vergilius 95ies fere *miser* ponit, *miserandus* 11ies. Maior etiam est dissimilitudo apud Ovidium, qui illo vocabulo 200ies fere, hoc 10ies usus est, et apud Persium Iuvenalemque et Martialem, qui hoc uti prorsus noluerunt. Rationem autem, cur in Octavia *miserandus* saepius usurpatur, eam esse puto, quod huic epitheto vis quaedam inest in ipsa rei veritate posita, quam vivide exprimere voluit auctor praetextae. Notandum praeterea est vocabulum *miserandus* in Octavia uno excepto loco in versu anapaesto esse. Idem uno loco excepto in exclamatione positum est sermonique interseritur.

Suam propriam sequitur auctor Octaviae viam etiam in ea re, quod adiectiva composita in *-ficus* et *-fer* exeuntia, quibus in omnibus tragoediis Seneca usus est, prorsus vitavit. Sed cum vulgo, velut qui primus hanc rem monuit omniaque adiectiva huc pertinentia ex Senecae tragoediis collegit, RICHTER[1]), hac dissimilitudine ostendi iudicent Senecam non fuisse Octaviae auctorem, equidem censuerim vix fieri potuisse, ut ea quae in Senecae tragoediis frequentissime usurpata vidisset adiectiva negligeret imitator. Ego vero hoc argumentum in contrarium convertendum esse putaverim, praesertim cum id, quod haec adiectiva praetextae desunt, cum Senecae usu penitus perspecto quam maxime conveniat. Nam ita variavit horum compositorum nominum usum Seneca, ut in iis tragoediis quae ex Graecorum exemplarium vestigiis conscriptae sunt, dico Herculem furentem, Medeam, Phaedram, Oedipum, multo saepius inveniantur quam in iis, quibus exemplaria Graeca non possunt ostendi, in Thyeste, Agamemnone, Troadibus. In his non plus quam ternis locis posita sunt huiusmodi epitheta eaque usitatissima, velut *magnificus*, *sacrificus*, cum in illis singulis decies vel saepius usurpantur[2]). Quoniam igitur in iis tragoediis quas suo maxime ingenio conscripsit Seneca rarius ponuntur haec adiectiva, facile intellegis, cur in Octavia praetexta nusquam usurpentur. Quorum frequens in illis fabulis usus Graecorum imitationi imputandus est. Ex Graecis enim vocibus plurima horum compositorum adiectivorum a poetis versa esse neque umquam linguae latinae assuefacta inter omnes constat[1]). Ex thesauro s. v. *anguifer*, *armifer*, *caelifer*, *castificus* apparet nullos scriptores nisi poetas Graecorum imitatores eosque rarissime haec posuisse, velut *castificus* nusquam alibi invenitur nisi in Senecae versu supra commemorato atque Carm. epigr. 1233. 15 (Saec. III) et Paul. Nol. carm. 28, 188. Quam vocem ex Graeca lingua convertit Seneca, nisi forte, quod verisimilius videtur, in poematis quibusdam invenit, quae ad nostram aetatem non sunt servata. Quod huiusmodi adiectiva a cotidiano sermone urbanorum hominum aliena sprevit praetextae auctor, quisquis fuit, laudibus efferendus est.

In p r o n o m i n i b u s animadverti personalia et possessiva, quae vocant grammatici, saepius in Octavia poni quam in ceteris

---

[1]) De Seneca tragoediarum auctore pag. 3.

[2]) In singulis tragoediis haec ponuntur adiectiva:
Hf. *luctificus* 102. *sacrificus* 893. *saxificus* 902. *superbificus* 58. *terrificus* 82. — *anguifer* 812. *aurifer* 240. *caelifer* 528. *flammifer* 593. 982. *luctifer* 687. *pestifer* 562. 976. *pomifer* 700.
Tro. *laetificus* 596. *maleficus* 752. *magnificus* 575.
Phoen. *incestificus* 223. *luctificus* 132. *frugifer* 219. 603. *pestifer* 38. 220. *signifer* 390.
Med. *letificus* 577 (ita E. *luctificus* A). *magnificus* 223. *nidificus* 714. *sacrificus* 38. — *armifer* 468 (versum delevit LEO) 980. *gemmifer* 725. *ignifer* 34. *lucifer* 842. *mortifer* 688. 717. 731. *sceptrifer* 59. *squamifer* 685.
Phae. *castificus* 169. *luctificus* 995. *vulnificus* 345. — *armifer* 909. *horrifer* 934. *ignifer* 960. *imbrifer* 1131. *Lucifer* 752. *rorifer* 11. *stellifer* 785.
Oed. *luctificus* 3. 632. *tabificus* 79. *terrificus* 384. — *aestifer* 39. *bacifer* 415. *florifer* 649. *frondifer* 276. *imbrifer* 315. *Lucifer* 507. 741. *mortifer* 555. 1058.
Ag. *sacrificus* 166. 584. — *pinifer* 346. *mortifer* 887.
Thy. *flammifer* 855. *signifer* 846. *velifer* 129.
HO. *gemmifer* 622. 661. *ignifer* 1362. 1748. *letifer* 208. *Lucifer* 149. *montifer* 1212. *solifer* 159. *spicifer* 598.

[1]) Cfr. P. S. BACKLUND, Die lateinischen Bildungen auf -fex und -ficus. Diss. Uppsala 1914.

fabulis. Quod ut planum fiat, hic adfero numeros horum pronominum ex praetexta et ex Thyeste petitos:

		Personalia		Possessiva	
		Oct.	Thy.	Oct.	Thy.
I pers.	sing.	52	34	50	39
II »	»	32	27	43	25
I »	plur.	13	6	43	19
II »	»	1	11	3	0
III »	refl.	8	18	32	22

Primae personae pronomina et possessiva omnia videmus in Octavia multo frequentius inveniri quam in Thyeste, in quo tamen versuum numerus maior est (In Oct. 983, in Thy. 1112 versus sunt). Cuius rei causa haec est, quod sermonis cotidiani, cui propior est praetexta, proprium est pronomina personarum poni[1]) etiam tum, cum iis ad maiorem vim exprimendam opus non sit. Cur autem primae personae pronominibus frequentius usus sit Octaviae auctor, facile intellegis, si consideras unamquamque quam in scenam duxit personam plus de veris non de fictis rebus loqui quam ceterarum fabularum personas.

Accedunt metricae rationes. Nam formas pronominum possessivorum *meus tuus suus* casusque dativi *mihi tibi sibi* facile erat in fine versus ponere eamque ipsam ob causam in Octavia frequentantur. Si earum tantum quae in senariis inveniuntur formarum rationem habuerimus, hos efficiemus numeros:

	In Octavia		In Thyeste	
	Summa	In extremo versu	Summa	In extremo versu
meus	41	39	38	25
tuus	27	23	21	15
suus	29	24	13	7
mihi	24	22	13	12
tibi	6	5	9	6
sibi	5	5	4	3

[1]) Quod item in fennica lingua accidit, ubi multo sunt frequentiora pronomina personalia in communi sermone quam in litteris.

Causam autem cur facillimam inierit viam saepius praetextae auctor quam Seneca, eam esse censeo, quod omnino magis est leviter adumbrata quam in singulis rebus accurate perpolita Octavia. Quam non perfectam esse iam alio huius commentationis loco probare studuimus.

Quoniam de usu pronominum personalium dixi, pauca adiungam de more omnium post liberam rem publicam poetarum, qui frequens est etiam in Octavia et in Senecae tragoediis, variandi singularem et pluralem numerum in eiusdem hominis sententia[1]).

Cuius usus haec sunt exempla in Octavia: V. 18 sqq. *o lux semper funesta mihi,/ tempore ab illo/ lux es tenebris invisa magis:/ tulimus saevae iussa novercae.* 100 sqq. *toleranda quamvis patiar, haud umquam queant/ nisi morte tristi nostra finiri mala.* 121 sq. *persequitur hostis atque inhaerenti mihi/ violentus ensem per latus nostrum rapit.* 131 sq. *inimica victrix imminet thalamis meis/ odioque nostri flagrat.* 451 *Fortuna nostra cuncta permittit mihi.* 462 sq. *an patiar ultra sanguinem nostrum peti/ inultus et contemptus ut subito opprimar?* 492 sqq. *munus deorum est, ipsa quod servit mihi/ Roma et senatus quodque ab invitis preces/ humilesque voces exprimit nostri metus.* 530 sqq. *nos quoque manebunt astra, si saevo prior ense occuparo quidquid infestum est mihi/ dignaque nostram subole fundaro domum.* 598 sqq. *manet inter umbras impiae caedis mihi/ semper memoria, manibus nostris gravis/ adhuc inultis: reddita est meritis meis/ funesta merces puppis.* 612 sq. *totum per orbem quem dedit poenam in meam/ puero regendum noster infelix amor.* 636 sqq. *utinam antequam te parvulum in lucem edidi/ aluique, saevae nostra lacerassent ferae/ viscera.* 827 sqq. *at illa, cui me civium subicit furor,/ suspecta coniux et soror semper mihi,/ tandem dolori spiritum reddat meo/ iramque nostram sanguine exstinguat suo.* 851 sqq. *quid illa turba, petere quae flammis meos/ ausa est penates, principi legem dare,/ abstrahere nostris coniugem tantam toris.* 898 sqq. *Quo me trahitis quodve tyrannus/ aut exilium*

[1]) Cfr. Draegerum I pag. 25, qui dicit a Propertio imprimis hoc modo numerum variari.

regina iubet,/ si mihi vitam pacta remittit/ tot iam nostris evicta[1]) *malis?/ sin caede mea cumulare parat/ luctus nostros, invidet etiam/ cur in patria mihi saeva mori?*

Similia ex ceteris tragoediis peti possunt, velut haec ex principio Oedipi: 15 sqq. *infanda timeo: ne mea genitor manu/ perimatur; hoc me Delphici laurus monent/ aliudque nobis maius indicunt scelus.* 27 sqq. *cuncta expavesco meque non credo mihi./ Iam iam aliquid in nos fata moliri parant./ nam quid rear quod ista Cadmeae lues/ . . . . . mihi parcit uni? cui reservamur malo?/ . . . . ./ . . . . ./ incolumis asto . . ./ . . . . ./ . . fecimus caelum nocens.* Plura persequi supersedeo, cum his exemplis iam planum fiat simili hac in re ratione usum esse Senecam atque Octaviae auctorem. Qui usus si paulo frequentior in praetexta exstat, id cum de liberiore genere scripturae tum de frequentioribus primae personae pronominibus nescio an deduci oporteat.

Sequitur ut de verbis dicamus. Usus eorum cum omnino in Octavia similis est atque in Senecae tragoediis, tum praecipue notavi eadem verba cum iisdem nominibus saepius iuncta esse. Quam rem quin ex imitatione repetas, prohibet id quod eadem vel simillima apud alios scriptores inveniuntur. Haec, quae iam collegit LADEK, similitudinum exempla infra litterarum ordine allata nihil valent ad imitationem probandam, adfinitatem tamen quandam inter praetextam et ceteras fabulas haud scio an ostendant.

Initium in hoc genere faciat *adice* et quae addi solent varia substantiva. Oct. 125 *adice his superbam paelicem* ~ Med. 527 *his adice Colchos, adice et Aeeten ducem*, 783 *his adice pinnas sauciae Stymphalidos*, 471 *adice expetita spolia*, 277 *fugam rapinas adice*, Oed. 811 *nunc adice certas corporis nostri notas*, HO. 364 *adice quot nuptas prius . . dilexit.* Quem *adiciendi* verbi usum praeter ceteros, quod ex Thesauro apparet, in deliciis habuit etiam in operibus pedestri sermone conscriptis Seneca, et apud alios quoque eiusdem aetatis scriptores, apud Ovidium, Quintilianum, Ps. Quintilianum singulis invenitur locis. Apud Lucanum non exstat.

[1]) Ita scribendum puto. Vide animadversiones criticas.

Oct. 461 *absit nefas* ~ Med. 931 sq. *nefas/ a me quoque absit* Cfr. Sen. Contr. I, 3, 4 *absit nefas.*

Oct. 500 sq. *Iovi/ aequatus* (Caesar) ~ HO. 417 *non ut aequetur Iovi.* Frequens est apud poetas huiusmodi iunctio, ut Sil. IV 810 (Hannibal) *aequatus Superis.* Id. XI 494 *aequatur . divis.* Id. XVII 260 *divis aequate.* Curt. X 5, 33 *dis aequare.*

Oct. 793 *praecipites agit* ~ Phoen. 299 *praecipites agit.* Haec iunctio usitatissima est apud scriptores Romanos, cfr. Thesaurum s. v. *ago* p. 1371. Nihil valet ad suspicionem imitationis movendam id quod haec vocabula utroque loco in extremo versu cogente metro posita sunt.

Oct. 419 et 499 [*armavit manus*, 118 et 558 *armat . manus* ~ Phoen. 275 sq., Med. 522 sq., Phae. 261, Oed. 873, Ag. 209, HO. 848 sq. Cfr. e. gr. Verg. Aen. IX 115 *neve armate manus.* Ibid. XI 682 *manus armat.* Ov. am. II 14, 4 *armant . . . manus.*

Oct. 253 *cede fatis* ~ Oed. 980 *cedite fatis.* Cfr. Liv. 26, 13, 17. Luc. VIII 575 *cedit fatis.* — Oct. 634 *cedat ut tantis malis* ~ Tro. 508 *cedendum est malis*, Ag. 507 *ars cessit malis.* HO. 1856 *cedite his cuncti malis.* Cfr. Verg. Aen. VI 95 *tu ne cede malis.*

Oct. 729 *comitante turba* ~ Hf. 837 *comitante turba.* Cfr. Ov. Met. VI 594 *turba comitante.* Item Sil. XI 462. XIII 276. Stat. Ach. I 27.

Oct. 733 *ensemque iugulo condidit saevum Nero*, 752 *iugulo quod ensem condidit* ~ Oed. 1037 *telum an patenti conditum iugulo imprimam.* Cfr. Ov. met. XIII 459 *iugulo . . telum conde meo.* Sil. II 259 sq. *iugulo . . . condit mucronem.*

Oct. 170 *lacrimas dedit* ~ Ag. 521 sq. *daret . . lacrimas.* Cfr. Verg. Aen. IV 370 *lacrimas . dedit.* Ibid. IX 293 *dedere lacrimas.* Ov. Met. XI 720 *lacrimam daret.* Luc. III 313 *lacrimas damus.*

Oct. 887 sq. *leto/ . dedit* ~ Hf. 1048 *leto dedit*, Phae. 695 *leto dedit.* Cfr. Verg. Aen. V 806 *daret leto.* Ibid. XI 172. XII 328 *dat . . leto.*

Oct. 28 *terga dedere* ~ Phae. 63 *dant . . . . terga*, Phoen. 190 *dare terga*, Oed. 86 *terga . dare*, Ag. 871 *terga dat.* Verg. Aen. IX 686 *terga dedere.* Ibid. IX 794 sq. X 365 *dare terga.* Ibid. XII 463.

Ge. IV 85 *terga dabo.* Aen. XII 645 *terga dabant.* Luc. IV 468. VI 153. IX 270.

Oct. 970 sq. *date vela fretis/ ventisque petat.* Tro. 1044 sq. *dare vela ./ cum simul ventis.* Verg. Aen. IV 546 *ventis dare vela iubebo.* Ibid. VIII 708 *ventis . vocatis/ vela dare.* Luc. IX 1001 *vela dedit Coris.*

Oct. 160 *extulit trepidos gradus* ~ Med. 891 *effer citatum sede Pelopea gradum.* Cfr. Luc. VIII 718 *ferre gradum.* Verg. Aen. VI 488 *conferre gradum.* — Oct. 690 sq. *quo trepida gressum coniugis thalamis tui/ effers* ~ Med. 870 sqq. *quando efferet Pelasgis/ . . arvis/ gressum.* Cfr. Verg. Aen. II 753 *qua gressum extuleram.*

Oct. 37 *eversam domum,* 898 *evertit Fortuna domos* ~ Agam. 733 *evertet domum.* 912 *eversa domus est.* Hf. 477 *Euryti . eversi domus.* Cfr. Val. Max. VII 2 Ext. 1 *domos evertunt.* Iuven. X 7 *evertere domos totas . . di faciles.*

Oct. 427 *maximum exortum est malum* ~ Tro. 427 *exoritur aliquod maius ex magno malum.* Cfr. Tac. Ann. III 43 *maior moles exorta.*

Oct. 805 *iussa . exsequi* ~ Hf. 41. Phae. 618 *iussa exsequi.* HO. 538 *iussa exsequar.* Cfr. e. gr. Verg. IV 396 *iussa . exsequitur.*

Oct. 437 *mente horreo* ~ Agam. 226 *mente horrui.* Cfr. Cic. dom. 140 *horreret animo.*

Oct. 142 *toris nefandis flebili iunxit face* ~ Hf. 346 *iuncta regali face/ thalamisque,* HO. 404 *facibus suis me iungat,* Phae. 59 *iugali . . face.* Cfr. Ov. Met. VII 49 *te face sollemni iunget sibi.*

Oct. 269 *lapsam domum* ~ Hf. 1250. Tro. 766 *lapsae domus.* Cfr. Ovid. Trist. II 2, 122 *lapsa domus,* ut in Oct. et in Hf. et Tro. translate de hominum fortuna.

Oct. 248 *poenas luat* fine versus ~ easdem voces eadem versus sede vide Med. 146. Oed. 222. Cfr. Luc. VIII 98 *poenas luam.*

Oct. 365 *paliturque moram sceleris nullam* ~ Thy. 769 *pati iussus moram,* Ag. 131 *moras possim pati,* Hf. 773 *non passus ullas natus Alcmena moras.* Cfr. Ovid. Fast. II 722 *et patitur lentas obsidione moras.* Met. IV 350 *vixque moram patitur.*

Oct. 366 *peragit iussa* ~ Tro. 679 sq. *iussa . peragite,* HO. 997 *nulla perages iussa.* Cfr. Luc. II 338 sq. *peregi/ iussa.*

Oct. 606 *perempta ferro* ~ Thy. 245 *ferro peremptus.* Haec coniunctio verborum ab aliis scriptoribus non usurpatur. Similis est Luc. I 447 *bello peremptas.*

Oct. 769 *petet amplexus, Poppaea, tuos* ~ Thy. 522 *meosque potius amplexus pete.* Cfr. Verg. Aen. VIII 615 *amplexus . nati petivit.* Ov. Her. XIV 69. XV 266. Met. VI 605. Stat. Silv. I 2, 36. Conferenda haec sunt: Oct. 730 *properat petere complexus meos.* Verg. Aen. V 733 *congressus pete, nate, meos.*

Oct. 627 *supplices dextram petant* ~ Med. 248 *fidemque supplex praesidis dextrae peti.* Cfr. Ovid. Trist. III 1, 31 *petens dextram.* Saepe *dextram amplecti* supplicum morem designat in litteris Romanis. Vide Thesaurum s. v. dextra p. 928.

Oct. 250 *premit turpi iugo,* 839 sq. *gravi semper iugo/ premenda* ~ Hf. 1019 *iugoque pressum . turpi,* 267 *sordido premitur iugo,* Ag. 134 sq. *iugo/ premit cupido.* Cfr. Verg. Aen. X 78 *iugo premere.* Ov. Trist. IV 6, 2 *premenda iugo.* Hor. Sat. II 7, 91 sq. *turpi iugo.*

Oct. 723 *quatiebat facem* ~ Thy. 251 *geminas faces/ Megaera quatiens.* Cfr. Prop. I 3, 10 *quaterent . . . facem.* Ov. Met. III 508 *quassas faces.* Sil. V 220 *facem quatiens.*

Oct. 164 *fasque omne rupit* ~ Thy. 179 *fasque omne ruptum* in primo versu. Cfr. Verg. Aen. III 55 *fas omne abrumpit* item in initio versus. Sil. II 293 *fasque omne abrumpitur.*

Oct. 136 et 593 */tellure rupta* ~ Thy. 88 */tellure rupta,* Tro. 180 */tellure fracta.* Cfr. Ov. Fast. IV 127 *rupta tellure.*

Oct. 77 *solvet curis* ~ Phae. 101 *solvere curis.* Quae voces frequentissime iunguntur, vide Thesaurum s. v. *cura.*

Oct. 17 *sparsa cruore,* 722 *sparsam cruore* ~ Hf. 445 *sparsam cruore,* Med. 709 *sparsus cruore,* Ag. 448 *sparsum cruore.* Ov. Her. VII 128, Fast. IV 636 *sparsa cruore.* Verg. Aen. IV 664 sq. *ensemque cruore/ spumantem sparsasque manus.*

Oct. 962 *testor superos* ~ HO. 1023 *superosque testor.* Cfr. e. gr. Prop. II 1, 37 *superis testatur Achilles.*

Oct. 332 et 902 *victa malis* ~ Phoen. 189 *victum malis.* Cfr. Ov. Met. IX 164 *victa malis.*

Quibus exemplis nihil nisi illud efficitur similes verborum iunctiones Octaviae auctorem et Senecam adamasse.

Hoc loco haud alienum videtur animadvertere Octaviae auctorem in casuum verbis adiunctorum syntaxi simillimis Senecae rationibus usum esse. Quod ex PREISINGII libello de Senecae tragici casuum usu[1]) conscripto apparet, quamquam is saepius parum subtiliter rem egit[2]). Velut cum dicit *exigendi* verbo Senecam uti solere, *poscendi* autem verbum in tragoediis raro positum esse[3]), non vidit in Oedipo e contrario accidere, ut tria sint *poscendi* verba, unum *exigendi.* Item in Octavia unum est verbum *exigendi,* tria *poscendi.* Ex quo apparet Senecam etiam hac in re usus rationem in singulis variasse tragoediis.

Simili temeritate de *intrandi* verbo PREISING iudicavit, cum dixit quod hoc verbum frequentius in Octavia et Herc. Oet. repeteretur. Invenit autem in Octavia quinquies, in HO. ter positum. Verum tamen etiam in Thyeste, ubi dimidio est minor versuum numerus quam in Hercule Oetaeo, tria exstant *intrandi* verba. Quod autem in Octavia semel *in* praepositionem adsciscit hoc verbum, etsi praeterea semper cum accusativo iungitur, id inde explicatur, quia propria hoc loco inest ratio additae particulae (v. 417) *sed in parentis viscera intravit suae/ deterior aetas.*[4])

---

[1]) Diss. Monasterii 1891.

[2]) Quam parum diligenter opus compilaverit, vel ex eo elucet, quod in Octaviae versu 813 *facilisque regi* (sc. non est Amor) infinitivum *regi* et metro et sententia necessario postulatum pro dativo vocis *rex* explicavit ita ut *facilis* „gnaedig" significaret (cfr. pag. 23).

[3]) Pag. 10.

[4]) Addere hic liceat nihil esse notabile in eo, quod semel genetivum possessivum ita ponit Octaviae auctor, ut *uxor* desideretur: V. 942 *Livia Drusi* (sc. uxor). Cur hunc usum communem non invenias in tragoediis, facile intelleges, si cogitaveris eum in Graecis nominibus adhiberi non potuisse.

Unum proprie notandum est *litandi* verbum, quo bis ita usus est Octaviae auctor, ut numen cui sacrum fieret, in casu accusativo poneretur: V. 757 *caesis litare victimis numen deum*[1]) et 981 sq. *hospitis illic caede litatur/ numen superum.* Quibus locis intellegitur hoc verbum iisdem casibus iunctum esse idemque fere valere ac *piare* vel *placare.* Is *litandi* verbi usus, qui ante cadentes litteras Romanas quantum video non invenitur nisi Bell. Hisp. 24, 6, ubi legitur: *ita pridie duorum centurionum interitio hac adversariorum poena est litata,* statuendus est communis sermonis fuisse. Postea exstat Serv. Verg. Aen. IV 50 *deos sacris litamus*[2]), Amm. 22, 9, 8 *venerato igitur numine hostiisque litato,* Ibid. 29, 1, 31 *litato conceptis carminibus numine.* Origo autem huius iunctionis ex similitudine *mactandi* verbi est ducenda. Nam quoniam et *mactare alicui aliquid* et *mactare aliquem aliqua re* dicebatur, similiter praeter *litare alicui aliquid* vel *litare aliqua re* etiam *litare aliquem aliqua re* dici coeptum est. Quod hunc usum admisit Octaviae auctor, in praetexta minime est mirandum, quia ut iam saepius commemoravimus propius ad communem urbanorum hominum sermonem praetextae orationem applicare consentaneum fuit. Atque vel ex hac iunctione apparet imitatorem non fuisse, sed ex suis ipsum fontibus hausisse Octaviae auctorem. — Seneca *litandi* verbo aut sine casu usus est, Hf. 1039 *nondum litasti,* aut cum dativo commodi, quem vocant, Ag. 577 *postquam litatum est Ilio,* aut cum dativo et accusativo rei, Med. 1019 sq. *plura non habui, dolor,/ quae tibi litarem.*

Postremo de particulis videamus. Earum in usu quamquam notum est scriptores vel maxime sibi constare, tamen cavendum est ne Octaviam cum Senecae trageodiis comparantes temeritate utamur in concludendo. Nam satis ex aliorum poeta-

---

[1]) Cfr. quae verbo alia ratione posito dicit Martialis X 73, 6 *non quacumque manu victima caesa litat.*

[2]) Servii aetate alium huius verbi usum iam non intellectum esse ostendunt ea, quae ad illum Vergilii locum, ubi *sacris litatis* legitur, notavit: „'diis litatis' debuit dicere: non enim sacra, sed deos sacris litamus, id est placamus: ergo nove dixit."

rum operibus capi poterant exempla, ut intellegeretur usum pro poematum generibus variari. Cum vero animadverterunt viri docti, quod quasi gravissimum, quo Octavia spuria notaretur, argumentum attulerunt, adverbium *mox*, quo Seneca in Graecis tragoediis uno tantum loco usus est Hf. 458 *e matris utero fulmine eiectus puer/ m o x fulminanti proximus patri stetit*, in praetexta octies[1]) positum esse, nihil quaesiverunt cur haec particula a Seneca tantopere sit vitata. Itaque non viderunt vocabulum *mox* eiusmodi proprium esse sermonis, quo res gestae describerentur, velut Taciti. Eandem ad rationem refero, quod Vergilius eclogarum sermone e graeco fonte quodam modo sumpto *mox* non usurpavit, in Georgicis et Aeneide 20ies posuit quodque Ovidius hac particula usus est 30ies in Metamorphoseon libris, in ceteris omnibus non saepius quam 10ies. Accedit quod Iuvenalis hanc vocem 16ies posuit, semel Martialis. Seneca particula *mox* facile caruit in Graecis tragoediis, in Octavia autem, ubi res e recenti memoria conservatae vivide erant describendae, ea ad vim orationis augendam opus fuit. Praeterea *mox* particula cum communis potius quam altioris sermonis esse videatur, in grandi Graecarum fabularum oratione vitata in praetexta ob eandem causam saepius posita est.

Confestim particula, quae deest Senecae tragoediis raroque a poetis et a scriptoribus primi post Chr. saeculi usurpatur, in Octavia semel v. 439 *castra confestim petam* posita eum, qui sententiam, in qua exstat, perspexerit, non offendet. Semel eam posuit Seneca in libro de benef. II 5. 1 *nihil confestim, nihil semel faciunt.*

Reliqua adverbia similiter fere ab Octaviae auctore atque a Seneca usurpantur. Velut *perpetuo* Octaviae v. 548 et Medeae v. 196 legitur cum eadem *manendi* verbi forma coniunctum, ita ut versus utrobique in *perpetuo manent* desinant. — *Ceu*, quod positum est Oct 191, invenitur Tro. 20. — *Potius*, quod legitur Oct. 177, 578 cum imperativo coniunctum, ea ipsa ratione in ceteris tragoediis cum imperativo saepissime iungitur, Hf. 427, 1014, 1265,

[1]) Vv. 45. 166. 409. 419. 688. 831. 938. 956.

Phoen. 110, Med. 507, Phae. 443, 612, Oed. 629, Ag. 308, Thy. 413, 522, 1021, HO. 852, cum coniunctivo quem vocant grammatici hortativo Hf. 1094 b, Tro. 351, 650, 1059, Phoen. 494. Alia ratione non saepius quam duobus locis ponitur Phaed. 655, Ag. 882. — *Etiam* positum est Oct. 171, 467, 904 et Hf. 492, 965, 1189, 1261, Troad. 303, 570, 670, 733, Phoen. 427, Oed. 678, Ag. 983, Med. 499, 678, Phae. 226, 705, Thy, 889, 896.

De particula *fere*, quae ex coniectura Leonis in Octaviae versu 538 scribitur, vide symbolam criticam.

Adverbium *retro* cum dicunt Schmidt, Richter, Ladek, Chickering[1]) in omnibus fabulis Octavia excepta inveniri, rem attingunt levissimam, quae in ea quae allata est causa nihil valet. Nam simili ratione etiam Medeae auctoritatem in suspicionem vocare poterant, quoniam *nempe* in omnibus tragoediis legitur illa excepta.

De praepositionibus nihil est quod dicamus, cum usitatissimae eaedemque, quae in Senecae tragoediis, in praetexta inveniantur.

In coniunctionibus paulo diutius est versandum. Atque in vocabulis *et* *-que* occasio datur manifesto exemplo ostendendi usum particularum certis fere rationibus variari neque eam rem ad diversos auctores referre licere. In Octavia harum particularum usitatior est *-que*, cum in Senecae libris prosa oratione conscriptis multo saepius *et* quam *-que* usurpetur. Kienzle[2]) in libris de beneficiis 1275 *et* particulas, 261 *-que* numeravit. Ratione in singulis operibus paulum dissimili in epistulis ad Lucilium circiter 3500 exstant particulas *et*, 550 *-que*, in libro autem de tranquillitate 300 *et*, 110 *-que*. In tragoediis quoque omnibus fere *et* usitatius est quam *-que*, neque tamen tantopere quantum in soluta oratione, velut in Thyeste 155 *et*, 130 *-que* numeravi. Contra dissimilis est hac in re ceteris Phaedra, ubi superius est numero

[1]) Is cum suo ingenio addidit *at* particulam Octaviae deesse, apparatum criticum non respexit. Ubi videre potuerat hanc vocem v. 457 in codicibus exstare, versum autem a Leone deletum esse. V. 827 in codicibus *et* scriptum est et vulgo ex coniectura Bothii non satis necessaria *at* ponitur.

[2]) Die Kopulativpartikeln et, que, atque bei Tacitus, Plinius, Seneca (Diss. Tübingen 1906).

-que, ita ut non plus quam 157 *et*, 177 autem *-que* inveniantur. Quae proxime accedit Octaviae 99 particulas *et*, 135 *-que* praebenti. Cur usus harum coniunctionum tam varius sit cum quaerimus, animadvertimus *-que* in anapaestis multo frequentius quam in aliis metris poni. Quo factum est, ut in Octavia, ubi maximus est anapaestorum numerus, haec particula frequentissime usurparetur. Quodsi numerum qui in anapaestis Octaviae exstat 57 *-que*, 21 *et* de summa deducis, totidem particulae (78) senariis supersunt. Phaedrae autem in anapaestis 25 *-que*, 5 *et* ponuntur, quibus de summa deductis, ut in Octavia, sic item eodem numero (152) utraque exstat particula. In anapaestis ceterarum quoque omnium fabularum *-que* multo usitatius est quam *et;* velut in Agamemnonis anapaestis 28 *-que*, 8 *et* leguntur. Unde efficitur rationem has particulas in Octavia usurpandi specie dissimilem, re vera Senecae tragoediarum usui simillimam esse. Vergilius et Ovidius et Horatius[1]) *et* frequentius quam particula *-que* usi sunt.

Ac atque simili fere ratione in Octavia ponitur atque in ceteris fabulis et in libris pedestri sermone conscriptis.

In coniunctionibus copulativis id etiam memoria est dignum, quod *neque* pro *nec* non saepius quam semel in Octavia legitur versu 888 *quem neque fasces/ texere suae nec tecta domus*, quamquam haec lectio addubitanda est forma *nec* non minus apte cum metro conveniente. In ceteris tragoediis uno loco invenitur *neque* Oed. 381 *neque ista, quae te pepulit, armenti gravis/ vox est nec usquam territi resonant greges*, ubi similiter atque in Octavia *neque . . . nec*, etiamsi *nec* metro non minus est aptum. Quodsi *neque* in his versibus verum est[2]), variandae orationis causa est positum, cuiusmodi variatio Senecae grata fuit.

[1]) Mirum quod in uno carmine saeculari *-que* superius est numero et ita quidem, ut bis tantum positae sint particulae *-que* quam quantum *et* inveniantur.

[2]) Cfr. quae dicit L. MUELLER De re metrica pag. 503: „dignissimumst memoria, quod ab Augusti aevo apud poetas permultos, cum *nec* innumeris prostet exemplis, *neque* aut raro invenitur aut numquam". E. gr. „Lucanus, quantum apparet ex Hosii apparatu, *nec* usurpavit exemplis circiter CCCXX, *neque* XXI". — In Senecae tragoediis cum *nec* plus ducenties inveniatur, *neque* autem ut dixi semel Oed. semel Oct., etiam maior est differentia.

Particulam *sed* adnoto similiter in Octavia atque in ceteris tragoediis poni, si sermo nova persona in scenam progrediente abrumpitur, et ita quidem ut saepius aut interiectio *ecce* aut pronomen interrogativum accedat, velut his versibus: Oct. 436 *sed ecce gressu fertur attonito Nero/ trucique vultu* ~ Tro. 999 *sed en citato Pyrrhus accurrit gradu/ vultuque torvo*, ubi similitudo extenditur ultra particularum usum. Similia sunt Oct. 778 *sed quis gressu ruit attonito*, 844 sq. *sed adesse cerno rara quem pietas virum/ fidesque castris nota praeposuit meis* et Phae. 989 *sed quid citato nuntius properat gradu*, Hf. 329 sq. *sed ecce saevus ac minas vultu gerens/ . . . venit*, Ag. 408 sqq. *sed ecce, vasto concitus miles gradu/ properat . ./ fidusque regi semper Eurybates adest*, 586 *sed ecce turba tristis . ./ Iliades adsunt*, Phae. 829 *sed iste quisnam est*, Med. 177 *sed cuius ictu regius cardo strepit*, Oed. 911 *sed quid hoc? postes sonant*, Hf. 616 *sed templa quare miles infestus tenet*, Ag. 53 *sed cur repente* etc., Hf. 202 *sed maesta venit crine soluto/ Megara*, 827 *densa sed laeto venit/ clamore turba*. In his exemplis compluribus plus fere similitudinis quam in aliarum particularum usu animadvertis. Hanc autem rem quin ex imitatione deducas, impedit id, quod naturalis est sermoni Latino ille *sed* particulae usus, quippe quem iam apud veteres tragicos invenis, velut scribit Accius Atrei frg. 13 (RIBBECK) *sed quid tonitru turbida torvo/ concussa repente aequora caeli/ sensimus sonere?*

De traiectis coniunctionibus vide in capite quod est de verborum collocatione.

In coniunctionibus subiectam incipientibus sententiam maxime ad nostram causam pertinet usus earum, quas vocant concessivas, de quibus disseruit H. RIEGER libello 1892 edito[1]). Inde apparet longe usitatissimam in Senecae tragoediis particulam concessivam esse *licet*, quod 34ies invenitur. Numero proximum est *quamvis*, quod coniunctionis vice fungitur 11ies, praeterea adverbium ante nomen vel participium 5ies exstat. Sequuntur numero *ut* et *cum* senis exemplis. Rarissime particulae *etsi* (quater) et

[1]) Die konzessive Hypotaxe in den Tragödien des L. A. Seneca. Progr. Tauberbischofsheim.

quamquam (bis) exstant. Quae sit ratio in Octavia, iam est videndum. Atque animadvertimus etiam in praetexta particulam *licet* omnium esse usitatissimam, quippe quod 7ies invenitur; *quamvis* bis fungitur coniunctionis vice, bis adverbii. De *cum* concessivo unum est exemplum incertum v. 449, ubi tamen nescio an causalem vim habeat particula [1]). Sed hoc utut est, *ut etsi quamquam*, quae ceteris in fabulis rarissime ponuntur, ne in Octavia quidem inveniuntur. Est igitur in Octavia ratio usus coniunctionum concessivarum plane eadem atque in ceteris fabulis, quod haud scio an gravissimum argumentum in quaestione de auctore Octaviae solvenda esse videatur, praesertim cum his ipsis particulis suam quisque propriam naturam consuetudinemque scriptor exponat. Nam prorsus dissimili usi sunt ratione alii poetae: Vergilius *quamvis* 13ies, *quamquam* 11ies, *licet* 7ies, Ovidius *quamvis* plus quam 100ies, *quamquam* 25ies, *licet* 55ies fere posuerunt. Apud Lucanum LUNDQUIST [2]), *quamvis* 28ies, *quamquam* 6ies, *licet* 15ies, *ut* bis numeravit; accedit *cum*, quod GÖRANSSON [3]) apud Lucanum vi concessiva invenit 25ies. Ii numeri quantum ab Octaviae et Senecae tragoediarum usu simillimo abhorreant, nemo non videt. Unde apparet illam hac in re similitudinen plurimi esse faciendam.

Ad interiectiones quoniam pervenimus, notamus *ei mihi* in Octavia semel usurpatum esse, quod Seneca non posuit nisi in HO. sexies: v. 1024, 1172 (E; aliter A), 1181 (ex emendatione certissima), 1205, 1402, 1784. Sed etiamsi, quod iure fieri nequit, eam partem Herculis Oetaei, ubi illa exstant verba, a Seneca abiudices, nihil tamen est, cur in praetexta et quidem in nutricis sermone semel huius particulae usum sibi permisisse Senecam negemus, praesertim cum *ei mihi* a singulis poetis aliquoties positum esse docuerit LEO [4]), velut a Vergilio ter, a Propertio quater, a

[1]) Quod statuit nisi fallor RIEGER, quia *cum* concessivum Octaviae dixit deesse.

[2]) Studia Lucanea, Diss. Uppsala 1907, pag. 99.

[3]) De usu particularum *cum, postquam, ubi, ut, simul, simulac* apud Vergilium, Lucanum, Valerium Flaccum, Silium Italicum. Diss. Uppsala 1897, pag. 85 sq.

[4]) Senecae tragoediae I. Observationes criticae, pag. 68.

Tibullo ter, a Valerio quinquies, a Silio semel bisve, ab Ovidio autem quadragies, a Statio quinquies decies.

Interiectionem *pro* cum in omnibus tragoediis posuit Seneca, eum plerumque tenere iussit locum, ut ad numen vel testem qui invocatur proxime accedat. Excipiuntur hac consuetudine cum haud pauci HO:i loci 219, 770, 965, 1231, 1419 bis, 1803, tum Ag. 35 *pro nefas* et Oct. 147 *pro facinus*. (Altero Octaviae versu 245 solito more legitur *pro summe genitor*.). Minime autem a Senecae usu loquendi abhorrere Octaviae locum id ostendit, quod idem ipse in libro de brevitate vitae 12, 2 *pro facinus* scripsit.

Heu me quae verba leguntur Oct. 31, 169, inveniuntur Tro. 476, 681, Phae. 898, 997, 1173, HO. 1761.

Eheu, quod in novem tragoediis exstat Phae. 868 et Ag. 868, in Octavia non legitur. Malam coniecturam L. MUELLERI, qua *evo* v. 290 in *eheu* mutaretur, nuper recepit P. H. DAMSTÉ [2]). Sed ne is quidem nobis persuasit.

In particularum igitur usu, si reputamus varietatem consuetudinis etiam in singulis tragoediis Senecae attributis, imprimis in Hercule Oetaeo, admissam esse, concedamus necesse est Octaviam ceteris esse consimilem.

[2]) Mnemosyne 1919, pag. 273.

De similitudinibus continuatae orationis.

Quoniam de usu qui in singulis vocabulorum generibus observatur satis dixisse videor, deinceps, ut erat propositum, de iis locis dicam, ubi per continuatam orationem similitudo quaedam aut sententiae aut verborum inter praetextam et Senecae tragoedias animadvertitur, iis tamen exceptis, quorum antea mentio est facta. Qua in re cum multa ideo, ut imitationis suspiciones refutentur, repetam iam a Ladek dissertationis p. 52 sqq. collecta, tum nova quaedam adferam, quibus propinquitatis, non imitationis vinculis ostendatur Octaviam cum Senecae tragoediis iunctam esse. Ordinem autem sequor, qui est in versibus Octaviae, sententias ad easdem res pertinentes uno tractaturus tenore.

Incipit praetexta a querelis Octaviae, quae v. 5 sqq. haec exlamat: *repete assuetos iam tibi questus/ atque aequoreas vince Alcyonas/ vince et volucres Pandionias.* Quibuscum si comparaverimus Troadum versos 96 sq. *iterum luctus redeant veteres/ solitum flendi vincite morem* manifestam notemus sententiae similitudinem, quae vix casu est facta, neque tamen non animadvertemus dissimilitudinem, unde apparet suo iudicio usum esse Octaviae auctorem, eo magis quod illa verba in Octavia haud minus sunt apta quam haec in Troadibus. — Idem statuendum est de Octaviae versu 18 *o lux semper funesta mihi* collatis verbis quae sunt Herculisf. in v. 207 sq. *nulla lux umquam mihi/ secura fulsit.* Atque cum asseverat postea Octavia v. 650 sq. *non hoc primum/ pectora vulnus mea senserunt,* conferenda sunt Troadum verba v. 67 sq. *non rude vulgus lacrimisque novum/ lugere iubes* et v. 82 *non indo-*

ciles lugere sumus, quamquam magis ex se apta est et sincera Octaviae elocutio.

V. 134 sqq. Octavia patrem ab inferis his verbis invocat: *emergere umbris*[1]) *et fer auxilium tuae/ natae invocanti, genitor, aut Stygios sinus/ tellure rupta pande, quo praeceps ferar.* Quibuscum comparanda sunt haec, quae in Hercule furenti dirigit Megara ad maritum apud inferos morantem v. 279 sqq.: *emerge, coniunx, atque dispulsas manu/ abrumpe tenebras; nulla si retro via/ iterque clusum est, orbe diducto redi/ et quidquid atra nocte possessum latet/ emitte tecum.* Prima specie similitudo tanti non est, quia patre mortuo irrita optavit Octavia, Megarae autem optatum effici potuit vivo ad inferos ingresso Hercule, neque ulla sunt praeter primum imperativum verba similia. Accuratius tamen perspicienti apparet eodem ordine utrobique cogitationem progredi, ita ut post adhortationem adiecta sint: 'quodsi fieri non poterit, tellurem rumpe'. Quae in Octavia maiore fere vi poetica expressa sunt quam in illis Herculis versibus iisque quae similia habet Seneca in Troadum v. 519 sqq., ubi Andromache eo momento, cum Herculem advenientem vidit magno turbata timore haec exclamat: *dehisce tellus tuque, coniunx, ultimo/ specu revulsam scinde tellurem et Stygis/ sinu profundo conde depositum meum.* Quibus in versibus verba *dehisce tellus* et *scinde tellurem* sine causa repetita legenti non possunt non esse molesta.

Adfirmandi forma, quae est Octaviae v. 222 sqq. *iungentur ante saeva sideribus freta/ et ignis undae, Tartaro tristi polus,/ lux alma tenebris, roscidae nocti dies./ quam cum scelesti coniugis mente impia/ mens nostra,* saepe utitur Seneca, velut Hf. 373 sqq., HO. 335 sqq., 467 sqq., 1582 sqq. atque imprimis Thy. 476 sqq., ubi similiter inter se opponuntur mare et caelum, dies et nox, ignis et aqua, neque tamen omnino sunt eaedem voces, nisi quod verbum *iungendi* utrobique invenitur. Eodem iungendi verbo usus est Seneca in simili adfirmatione Phaed. 568 sqq. *ignibus iunges aquas* eqs. Cui rei tamen ne quid tribuas, resistit quod idem verbum in simillimo iureiurando invenitur in Ovidii Ibidis v. 31 sqq.:

[1]) *undis* codd. *emerge tenebris,* quod plus arridet, Withof.

desinet esse prius contrarius ignibus umor/ iunctaque cum luna lumina solis erunt eqs. Quales *ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου* adfirmationes cum usitatae erant apud poetas Romanos[1]) tum a Seneca adamatae esse videntur, siquidem scripsit etiam epigramma quoddam a Baehrensio in poetarum Latinorum Minorum volumine IV numero 50 designatum[2]), ubi per totum carmen recurrit haec figura. Locis ubi hunc usum adhibet Seneca, proxime accedit ille Octaviae locus, neque tamen de imitatione cogitandum.

Ad. Oct 227 sq. *utinam nefandi principis dirum caput/ obruere flammis caelitum rector paret* referenda sunt Thy. 244 *profare dirum qua caput mactem via.* Utrobique in simili sententia *dirum* epitheton *capiti* accedit, qua iunctione, quantum ex Thesauro apparet, alii scriptores nisi Stat. Theb. I 104 usi non sunt. Nulla tamen in Octavia animadverti possunt imitationis vestigia, praesertim cum verba eadem in versus sede non sint posita. Etiam altero praetextae loco haec nomina item coniuncta inveniuntur v. 861 *caedem sororis poscit et dirum caput*, ubi ex ingenio Neronis, non imitatoris more variantur. Cfr. quae idem dicit Nero v. 438 sq. *mitte, qui Plauti mihi/ Sullaeque caesi referat abscisum caput.*

Octaviae versus 233 sq. *qua plaustra tardus noctis aeterna[e] vice/ regit Bootes* ex imitatione Senecae versuum, Med. 314 sq. *flectitque senex/ Attica tardus plaustra Bootes*, Ag. 70 *lucida versat plaustra Bootes*, Thy. 873 sq. *custosque sui tardus plaustri/ iam non stabilis ruet Arctophylax*, non esse repetendos apparet ex aliorum poetarum verbis in re simili similibus, velut Ovid. Met. II 176 sq. *te quoque turbatum memorant fugisse, Boote,/ quamvis tardus eras et te tua plaustra tenebant*, Germ. Arat. 138 sq. *qua proximus illi/ tardus in occasu sequitur sua plaustra Bootes*, Mart. VIII 21, 3 sq. *placidi numquid te pigra Bootae/ plaustra vehunt.* Catullus iam habet 66, 67 *tardum Booten.*

---

[1]) Cfr. quae ad Verg. Ecl. 59 sqq. collegit Forbiger.

[2]) Quod quominus Senecae esse statuamus, nulla saltem impedit causa. Cfr. pag. 27 sq., ubi quaestionem de Senecae epigrammatis tetigi.

Quae sequuntur verba *frigore* (ita post Pontanum Bothe; *frigido* codd.) *Arctoo rigens* eadem forma in eadem versus sede exstant etiam Med. 683 *frigore Arctoo rigens* ac similia sunt Oed. 546 *frigore aeterno rigens.* Sed etiamsi praetermittis emendatione verba eadem esse facta, post Ackermannii labores[1]) notum est saepius Senecam versum totum aut dimidium ex alia tragoedia in aliam quasi transposuisse. *Frigore ab Arctoo* habet Luc. X 250, *frigore rigere* autem usitata est iunctio; exstat e. gr. Cic. Tusc. I 69 *frigore rigeant.*

V. 247 Octavia Iovem ad Neronem puniendum invocat: *in tam nocentem dextra cur cessat tua?* Similia sunt Phaed. 680 sq. *cur dextra divum rector atque hominum vacat/ tua?* et Thy. 57 *dextra cur patrui vacat?* Similitudinem tamen ultra ea procedere, quae in sententia sunt posita, quis est qui contendat, praesertim si legerit verba Octaviae versui simillima Iliae Latinae v. 39 *cur o tua dextera cessat?* In Phoen. 91 sq. *dextra, quid cessas iners/ exigere poenas* ratione Octaviae dissimili dextra in vocativo casu posita quodam modo persona fingitur. Conferenda sunt Sil. XV 733 *quanta/ cessavit Latio dextra.*

Octaviae versui 264 *raptasque thalamis sanguine exstinxit faces* proximus est HO. 339 *meo iugales sanguine exstinguam faces.* Ne autem hoc loco de imitatione ad verba facta cogites, obsistit quod elocutio *sanguine exstinguendi* in eadem versus sede etiam saepius in praetexta usurpatur, 608 sq. *sanguine exstinxi meo/ nec odia nati* et 830 *iramque nostram sanguine exstinguat suo* et apud Senecam Thy. 742 *aras sanguine exstingues suo. Exstinguendi* verbo obiciuntur *faces* in simili illis sententia Oct. 822 sq. *quod non cruor civilis accensas faces/ exstinguit in nos.* Communis est hic usus, velut exstat Cic. Pis. 5 *faces accensas exstinxi*, Curt. X, 9, 5 *exstinxit faces.*

Ad. Oct. 329 sq. *laceratque comas rigat et maestis/ fletibus ora* notari possunt Tro. 409 sqq. *quid maesta Phry-*

---

[1]) De Senecae Hercule Oetaeo. Philologus suppl. 16 pag. 328 sq.

giae turba, laceratis comas/ miserumque tunsae pectus effuso genas/ fletu rigatis, 965 *inrigat fletus genas*, Med. 388 *oculos uberi fletu rigat*, 937 *ora quid lacrimae rigant*, Phaed. 381 sq. *lacrimae cadunt per ora et adsiduo genae/ rore inrigantur*, 730 sq. *hanc maestam prius/ recreate . crinis tractus et lacerae comae...*, 990 *rigatque maestis lugubrem vultum genis*, Oed. 953 *rigat fletu genas*, 978 *rigat ora foedus imber et lacerum caput*, Ag. 922 sq. *quaenam ista lacrimis lugubrem vultum rigat/ pavetque maesta*. Unde iam apparet constantibus Senecam in fletu describendo vocabulis usum esse neque ullum Senecae locum ab Octaviae auctore respici potuisse. Quod exemplis ex aliis poetis petitis firmatur. Velut scribit Verg. Aen. VI 699 *largo fletu simul ora rigabant*, IX 251 *voltum lacrimis atque ora rigabat;* Ovidius Met. XI 419 *fletibus ora rigavit*.

Itaque si consideraveris aliis quoque poetis hac in re exprimenda eundem dicendi morem fuisse, multum non tribues similitudini quae est inter Oct. 692 *cur genae fletu madent* et Phaed. 1121 *cur madent fletu genae*. Accedit quod docuit Ackermann loco supra ad v. 234 commemorato Senecam ex aliis tragoediis in alias totos versus transferre non dubitavisse, nedum haec verba in re tritissima. Cfr. Ovid. Met. XI 418 *lacrimisque genae maduere profusis*.

Similia hac in re praeter illa exstant: cum Troadum versibus iam commemoratis 409 sqq. comparandi sunt Oct. 718 sqq. *visa nam thalamos meos/ celebrare turba est maesta: resolutis comis/ matres Latini flebiles planctus dabant*. Item conferre licet Oct. 745 *pulsata palmis pectora* et Tro. 64 *ferite palmis pectora*, Hf. 1100 sq. *percussa sonent/ pectora palmis*. Quae verba per ridiculum repetita sunt in anapaestis Apocolocynthoseos XII. 2, 52 sq. *caedite maestis pectora palmis*. Exemplar autem est omnium horum locorum Verg. Aen. I 480 sq. (ibant) *crinibus Iliades passis peplumque ferebant./ suppliciter tristes et tunsae pectora palmis*.

Eandem in timoris verbis animadvertimus similitudinem. Cum enim scribit Octaviae auctor v. 862:

horrore vinctum trepidus astrinxit rigor

et v. 735 sq.:

quatit ossa et artus horridus nostros tremor
pulsatque pectus,

eandem adhibet formulam, qua usque ad fastidium usus est Seneca:

Oed.	659	*et ossa et artus gelidus invasit tremor.*
Tro.	168	*pavet animus, artus horridus quassat tremor.*
HO.	706	*vagus per artus errat excussos tremor.*
Hf.	414	*gelidus per artus vadit exsangues tremor.*
Phaed.	1034	*os quassat tremor.*
Tro.	457	*mihi gelidus horror ac tremor somnum expulit.*
Oed.	206	*horrore quatior.*
Med.	926 sq.	*cor pepulit horror, membra torpescunt gelu pectusque tremuit.*
Ag.	711	*creberque totum possidet corpus tremor.*
Tro.	487	*sudor per artus frigidus totos cadit.*
Tro.	623 sq.	*reliquit animus membra, quatiuntur, labant torpetque vinctus frigido sanguis gelu.*
Oed.	224	*torpor insedit per artus, frigidus sanguis coit.*
Phoen.	530	*membra quassantur metu.*

Sed ne temere conicias Senecae sua debere Octaviae auctorem, consideres quaeso similia frequentissime apud alios poetas inveniri, velut Verg. Aen. VII 446, XI 424 *tremor occupat artus*, V 199, V 432, IX 814 *quatit anhelitus artus*, VII 458 *ossaque et artus perfundit sudor*. III 29 sq. *mihi frigidus horror/ membra quatit*. Similiora etiam Senecae locis sunt apud Ovidium: Her. V 37 sq. *gelidusque cucurrit,/ ut mihi narrasti, dura per ossa tremor* et Met. X 423 sq. *gelidos nutricis in artus/ ossaque, sensit enim, penetrat tremor*. Cfr. Met. XIV 210 *me tremor invasit*.

In Oct. 409 *quod sequi cursu feras/* repetitum est paene totum hemistichon ex Phae. 110 *consequi cursu feras/*. Quod a Seneca eius non fuit alienum; vide quae pag. 61 ad v. 234 dixi. Conferenda sunt Sen. epist. 22, 4 *felicitatem cursu sequi*.

Inter Oct. 515 sq. *pavere volucres et feras saevas diu/ tristes Philippi* et Thy. 751 *ferisque triste pabulum*

saevis trahat magna est similitudo. Proxime accedit etiam Hf. 1208 sq. *feras/ volucresque pascens Caucasi abruptum latus*. Cum igitur duo sunt similes apud Senecam loci neque minus idonea sunt Octaviae verba, imitationem, etiamsi voles, statuere vix poteris. Propinquitatem autem quandam horum versuum nemo est qui neget.

Oct. 708 sq. *quorum toros celebrasse caelestes ferunt/ pelagique numen omne consensu pari* et Thy. 970 sq. *festum diem, germane, consensu pari/ celebremus* eandem habent elocutionem, quae quantum ex Thesauro video apud alios scriptores Romanos non exstat. Imitationis autem in Octavia nulla invenis vestigia, ubi mentio fit de nuptiis Pelei et Thetidis, quae re vera a compluribus sunt carmine celebratae; simillima sunt Cat. 64, 301 sq. *Pelea nam tecum pariter soror aspernata est/ nec Thetidis taedas voluit celebrare iugalis*. Non item in Thyeste. Hoc igitur loco principalia, ut ita dicam, Octaviae verba esse videntur. Quod magni est.

Ex re ipsa, non ex imitatione explicatur Oct. 725 *diducta subito patuit ingenti mihi/ tellus hiatu* collatis Oed. 582 sq. *subito dehiscit terra et immenso sinu/ laxata patuit*. Cfr. Sen. nat. VI 1, 9 *in vasto terrarum dehiscentium sinu*.

Idem cadit in Oct. versus 756 sq. *delubra et aras petere constitui sacras/ caesis litare victimis numen deum*, ad quos relati sunt Ag. 392 a sqq. *delubra et aras caelitum et patrios lares /. . . . . . ./ supplex adoro*, Oed. 199 sq. *delubra petunt/ haud ut voto numina placent*, Hf. 876 sq. *aras tangite supplices/ pingues caedite victimas*, 898 sq *nunc sacra patri victor et superis feram/ caesisque meritas victimis aras colam*. Rerum similitudine verborum similitudinem effectam esse haec ostendent: *Delubra* et *arae* apud alios scriptores saepe, velut locis in Thesauro s. v. *delubrum* numeratis, inter se respondent. Drac. Romul. VII 488 legitur *delubra petens intravit ad aras*. *Victimas caedendi* elocutio cum usitatissima est, tum notanda Liv. X 38, 8 *arae in medio victimaeque circa caesa*, Mart. X 73, 6 *non quacumque manu victima caesa litat*.

Oct. 797 sq. *membra per partes trahunt/ diducta*[1]) *laqueis* collatis Thy. 60 *membra per partes eant/ discerpta* magni sunt ad statuendam rationem, quae inter Octaviam et Senecae tragoedias intercedat. Utrobique enim *membra per partes* eadem versus sede posita sunt, utrobique versus superior in verbo tertiae personae desinit, sequensque a participio incipit. Considerantem igitur, utro loco aptior videatur verborum iunctio, nescio an id saltem fateri oporteat, in Octavia non imitatoris servile ingenium apparere, sed e re ipsa descripta velut nata verba esse. Cum autem Thyestis verba tam idonea non sint, dicere audeam similitudinem, quia Senecam Octaviam imitatum esse credi nequit, sic explicari, ut eundem fuisse statuamus auctorem praetextae atque ceterarum tragoediarum Senecam, qui bis in similem elocutionem inciderit. Ad verba *per partes* referenda sunt quae apud Quintilianum leguntur V 13, 28 *interim per partes dissolvitur quod contextu nocet*, ubi *dissolvendi* verbum propinquum est *diducendi* et *discerpendi* verbis, quae illis locis legimus. Conferenda esse videtur illa iunctio, quae frequentior est apud Quintilianum, Graecae *κατὰ μέλεα*.

Octavia cum exlamat 914 sqq. *quis mea digne deflere potest/ mala? quae lacrimis nostris questus/ reddat aedon?*, forma interogationis utitur eadem qua designat dolorem Hercules postquam liberos necavit Hf. 1227 sq. *quis vos per omnem, liberi, sparsos domum/ deflere digne poterit?* In simplex dictum mutata est interrogatio in Ag. 670 sqq. *non quae verno mobile carmen/ ramo cantat tristis aedon /. . . ./ . . . ./ . . . ./ . . . ./ lugere tuam poterit digne/ conquesta domum*. Similitudinem autem hos locos inter et illum Octaviae tantam non esse ostendit Vell. II 67, 1 *huius totius temporis fortunam ne deflere quidem quisquam satis digne potuit*. Cfr. eiusdem auctoris II 89, 1 *digne exprimi potest*.

Eos qui sequuntur Octaviae versus 916 sqq. *cuius pennas/ utinam miserae mihi fata darent!/ fugerem luctus ablata meos/ penna volucri procul et coetus/ hominum tristes caedemque feram./ sola*

---

[1] Ita scribendum censeo. Cfr. quae dixi pag. 99.

in vacuo nemore et tenui/ ramo pendens querulo possem/ gutture maestum fundere murmur ideo intellegimus similes esse atque HO. 201 sqq. *cur mea nondum capiunt volucres/ bracchia plumas? felix, felix,/ cum silva domus nostra feretur/ patrioque sedens ales in agro/ referam querulo murmure casus/ volucremque Iolen fama loquetur* et Hf. 146 sqq. *pendet summo stridula ramo/ pennasque novo tradere soli/ gestit querulos inter nidos/ Thracia paelex, turbaque circa/ confusa sonat murmure mixto/ testata diem*, quod exempla ex eadem lusciniae fabula petita sunt. Octaviae verba, quia in singulis rebus veriora sunt ac pulchriora quam ea quae in Hf. et HO. exstant, his anteponere non dubito.

Iam illis similitudinum exemplis ultimum addam. In Oct. 973 *lenes aurae zephyrique leves* vix de imitatione cogitas, cum pulcherrime inter se respondeant substantiva epithetis contrario ordine versum includentibus. Eadem autem nomina uno orationis tenore saepius apud Senecam inveniuntur, adeo ut cum alterautra vel *lenis aura* vel *levis zephyrus* ponitur iunctio, altera non longe ab illa absit: Oed. 37 sq. *non aura lenis . . . non zephyri leves*, ibid. 884 sqq. *zephyro levi . . . . . lenis aura* et Agam. 431 sqq. *hinc aura lenis impellit rates/ unda vix actu levi tranquilla zephyri mollis afflatu tremit*, etsi *levis* hoc loco non ipsum *zephyro* accedit. Singula horum substantivorum cum iisdem epithetis etiam apud alios poetas ponuntur, velut *lenis aura* locis in Thes. s. v. *aura* numeratis, *levis zephyrus* e. gr. Cir. 25. Sed illa eorundem et substantivorum et adiectivorum iunctio unius Senecae Octaviaeque auctoris propria videtur esse. Eadem substantiva aliis epithetis praedita item iunxit Ovidius, ut art. am. III 728 *»Zephyri molles auraque« dixit »ades«*, ibidem III 693 *lenibus impulsae zephyris auraque salubri*, Amor. I 7, 54 sq. *ut cum populeas ventilat aura comas,/ ut leni zephyro gracilis vibratur arundo.* Her. XIV 39 sq. *ut leni zephyro graciles vibrantur aristae,/ frigida populeas ut quatit aura comas.* Seneca uno loco Hf. 699 *lenis* adiectivum subiunxit *zephyro*. Idem Med. 304 posuit ad *auras* epitheton *levis* vi translata et ab illis exemplis aliena.

His quae tetigi probare studui in Octavia nusquam, cum ad similitudinem quorundam Senecae locorum accedit sermo auctoris,

inferius ingenium apparere imitatoris, sed ubique aut aptiorem esse Octaviae elocutionem aut saltem ex ipsis rebus tamquam natam. Exempla enim ex aliis scriptoribus, imprimis ex poetis petita attuli, quibus ostenderem ex usu et consuetudine sermonis Latini illas similitudines plerumque explicari. Attamen Senecae morem quam maxime prae se ferunt praetextae verba. Eius rei quoniam sibi non fuit conscius Octaviae scriptor, in tanta similitudinum copia, cum innumeris velut filis subtilibus cum Senecae operibus connexa sit Octavia neque ullum indagari possit imitationis manifestum indicium, omnia eo vergere videntur, ut tutissimum sit aliis rebus non impedientibus constituere Senecam Octaviae fuisse auctorem.

De verborum collocatione.

Qua arte poetae Romani vocabula collocaverint quia parum via ac ratione quaesitum est, litterae quibus haec res illustretur, ut quae singula obiter ab interpretibus scriptorum sunt observata omittamus, nisi paucissima opuscula et ephemeridum capita nullae exstant. Itaque cum certas rationum normas, quae ad omnia pertineant, non habeas quas sequaris, difficile est de verborum apud singulos scriptores ordine ita disserere, ut utile aliquid atque ad communem usum accommodatum afferas. Quam ob rem hic totam artem vocabula collocandi in Octavia et Senecae tragoediis non describemus, earum tantum mentionem faciemus rerum, quae vim aliquam habent ad constituendam rationem quae inter praetextam et ceteras tragoedias intercedat.

Qua de re iam pridem animadversum est coniunctionem *atque*, quam Seneca secundo enuntiati loco non saepius quam bis posuit, Ag. 418 *refugit loqui/ mens aegra tantis atque inhorrescit malis*, Thy. 912 *o me caelitum excelsissimum/ regum atque regem*[1]), in Octavia quinquies traici, 110 *videre tumidos et truces miserae mihi/ voltus tyranni iungere atque hosti oscula*, 165 *miscuit coniunx viro/ venena saeva, cecidit atque eadem sui/ mox sceleri nati*, 244 *fruiturque vita noxiam atque animam trahit*, 474 *caede abstinere tempus atque irae dare*, 561 *vis magna mentis blandus atque animi calor/ Amor est.* Quibus locis notandum est versu 165 traiectionem leniri addita voce *eadem* et versum 244, si tanti est, facil-

[1]) ita E; *regumque regem* A.

lima emendatione mutari posse in formam *noxiamque animam trahit*; quod si fiat, quattuor restant certae traiectiones, quarum una lenissima. Neque tamen hi loci emendationis aut interpretationis opera egent, cum ea omissa facile intellegas ideo in Octavia saepius quam in ceteris traiectionis licentiam admitti potuisse, quod argumento ex re Romana petito non tam artis coercitus est finibus scriptor quam cum Graeca poemata scribebat. Velut Horatius sibi admisit *atque* coniunctionem postpositam in satirarum primo libro, quam in carminibus et epistulis prorsus vitavit[1]). Quam traiectionem in Octavia admissam etiam facilius intellegemus, si memoria repetierimus multas res in Octavia observatas verisimillime ostendere praetextam imperfectam post mortem auctoris publici iuris factam esse. Ceterum addendum est *atque* traiectum in Octavia semper ita positum esse, ut prima syllaba arsin quarti pedis obtineat[2]) et ultima vocalis *e* prima vocali verbi sequentis elidatur.

Aliae quoque coniunctiones paulo saepius in Octavia quam in Senecae tragoediis traiectae sunt. Velut *nam*, quod in praetexta ter invenitur, semper secundo enuntiati loco posuit auctor:

108 *poena nam gravior nece est*
714 *laeta nam postquam dies*
718 *visa nam thalamos meos*

In his exemplis facile est intellectu vocem *nam* eandem versus sedem obtinere, in qua *atque* traiectum positum esse vidimus, ut vocabula gravius exprimenda primo post caesuram loco ponerentur. Huius vocabuli traiectionis in Octavia admissae exempla quamquam in ceteris tragoediis non inveniuntur, nihil valent ad diversum praetextae auctorem probandum. Eadem enim ratione, qua Octaviae usus est auctor, Horatius *nam* traiecit in satiris et epistulis, in carminibus nisi semel non traiecit[3]). Quod ad usum

[1]) Cfr. Orelli-Hirschfelder ad Hor. carm. III 11, 18. De *atque* apud alios poetas traiecto vide Thes. s. v.

[2]) Qua versus sede saepissime positum est *atque, ac* et in Octavia et in ceteris tragoediis.

[3]) IV 14, 9. Cfr. Norden, Verg. Aen. VI pag. 394.

huius particulae apud Senecam attinet, notandum est in aliis tragoediis, velut in Hercule furenti et in Thyeste, *nam* non inveniri, tantum *enim*, in aliis, velut in Phoenissis, simili atque in Octavia modo tantum *nam* positum esse. Etiam *namque*, quae particula semel in Octavia invenitur, secundo positum est enuntiati loco praetextae versu 9 *gravior namque his fortuna tua est.* Quae collocatio simplici verborum ordini anteposita est quo primum enuntiati locum obtineat vimque maiorem accipiat vox gravior[1]).

Aut traiectum ex coniectura Buecheleri a Leone et Richtero probata tertio sententiae loco legitur in Octaviae versu 422 *tecta defendit sua* (*suis* codd.)/ *aliena telis aut petit praedae imminens.* Cum ea particula, quae octies in Octavia invenitur, ceteris locis non est traiecta. Buecheleri coniectura, qua novus huic voci locus attribuitur, nisi fallor verisimilis non est[2]). Secundo enuntiati loco positum est *aut* Hf. 212 *nec ulla requies tempus aut ullum vacat*[3]).

Nec secundo enuntiati loco in Octavia sexies 511. 573. 783. 823. 836. 889 invenitur. Etiam quarto loco semel est positum v. 609 *sanguine exstinxi meo/ nec odia nati* atque semel quinto loco v. 402 *cingere assuerant suas/ muris nec urbes*, quibus duobus locis copulativa non est particula, sed eandem habet vim ac *ne quidem*. Quae significatio inest particulae *nec* Hf. 1304 *natum potes servare tu solum mihi./ eripere nec tu. Nec* copulativum rarius quam in Octavia in ceteris tragoediis secundo enuntiati loco ponitur, velut Troad. 772, Agam. 549[4]).

Sed secundo enuntiati loco frequenter positum est et in Octavia et in ceteris fabulis. In illa quater admissa est traiectio, versibus 406. 583. 753. 825. Numeri ceterarum variant, velut traicitur in Hf. quinquies 63. 295. 341. 345. 827, cum in Thyeste

[1]) De particula *namque* apud Catullum Horatium Vergilium traiecta vide Norden l. c. pag. 394.

[2]) Cfr. caput adnotationes criticos continens pag. 96 sq.

[3]) De aliis poetis cfr. Norden l. c. pag. 395.

[4]) De aliis poetis cfr. Norden l. c. pag. 394.

non saepius quam semel secundo enuntiati loco positum est versu 330. In eadem fabula semel tertio loco invenitur particula *sed*, quam sedem apud Senecam alibi obtinere non videtur, dico v. 436 *placet ire, pigris membra sed genibus labant.* Apud Ovidium *sed* tertio loco ter est positum, nusquam in Metamorphoseon libris, secundo autem loco frequenter invenitur[1]).

De *et* particula in Senecae tragoediis traiecta fusius disseruit Schmidt[2]) haecque animadvertit: »ita autem semper traiectum est, ut post unum tantum vocabulum, non post plura conlocaretur.» Hac lege dixit Octaviam non teneri, quippe quae habet v. 419 *saevas mox et armavit manus* et 688 *petat infestis mox et flammis/ telisque feris principis aulam.* Neque tamen hae exceptiones sunt, quia *et* primo quem dixit loco vim obtinet particulae *etiam*, altero autem ad *et* respondet sequens *-que*, ita ut *et flammis telisque* idem significet atque *et flammis et telis.*

Haec de traiectis particulis copulativis dicenda erant. Hac in re vidimus Octaviae auctorem paulo maiore usum esse licentia quam Senecam. Sed quoniam alios quoque poetas constat in dissimilibus operibus traiectionis rationem variare, nihil est cur hanc ob causam auctorem Octaviae in suspicionem vocemus, praesertim cum animadvertamus eum hoc in usu sibi constare. Nam quam sententiae vel versus locum particulae in his tragoediis obtineant cum quaeritur, videmus *atque* et *ac* saepissime in senariorum quarti pedis arsi posita esse. Velut in Octavia *atque* hoc loco 12^{ies} invenitur, aliis versus locis 10^{ies} [3]). In HO. *atque* 5^{ies} hoc loco, item 5^{ies} aliis locis ponitur. *ac* in hac fabula quarti pedis arsi 6^{ies} legitur, aliis versus locis bis. In ceteris tragoediis etiam saepius et *atque* et *ac* hac senarii sede ponitur, velut in

[1]) Cfr. Ehwaldum ad Metam. IX 495.

[2]) Observationes criticae pag. 9 sqq.

[3]) *ac* in Octavia non plus ter positum est. Forma *atque* numero superior est etiam in HO. (10: 8), in ceteris forma *ac* usitatior est. Ex qua re concluserim formam *atque*, quippe quae in Octavia est, in frequentiore hominum urbanorum cotidiano usu versatam esse. In Thesauro nihil est commemoratum, qua ratione his formis alii sint scriptores usi.

Thyeste *atque* 9^{ies}, *ac* 12^{ies}, alibi 2^{ies} et 4^{ies}, in Agam. *atque* 7^{ies}, *ac* 8^{ies}, alibi 0 et 5^{ies}.

Particulam *-que* in senariis animadverti saepissime primo versus vocabulo adiungi. Haec tamquam lex in Octavia 65^{ies} valet, cum medio versu non saepius quam 14^{ies} legatur particula. Quod si accidit, adiungitur fere primo post caesuram vocabulo. Eadem est ratio in ceteris tragoediis; velut in Thyeste adiungitur 71^{ies} primo versus vocabulo, medio versu non saepius quam 22^{ies} ponitur. — In versibus anapaestis Octaviae *-que* semper primo hemistichi, quod vocant, vocabulo accedit. Idem in Thyeste valet, una est exceptio in Agam. versu 79 *iura pudorque/ et coniugii sacrata fides.* Qui versus etiam propter admissum in syllaba ancipiti hiatum suspectus est.

Traiectionem particularum vidimus partim saltem ea explicari re, quod vocabula gravius exprimenda ad certam versus vel enuntiati sedem translata sunt. Idem studium artificiosas quasdam verborum collocationes adduxit, de quibus hoc loco disserere haud alienum puto, quia ostendunt quantopere propria sit in Octavia ars, qua Seneca in vocabulis collocandis usus est. Itaque in praetexta duo verba saepe versum ita includunt ut et a verbo incipiat et in verbo desinat versus, praesertim si haec aut significatione aut pronuntiatione aliquo modo sunt adfinia. Velut in his exemplis Octaviae:

174 *extinguat et me, ne manu nostra cadat!*
395 *generet renascens melior, ut quondam tulit.*
455 NERO *Calcat iacentem vulgus.* SEN. *Invisum opprimit.*
459 NERO *Iussisque nostris pareant.* SEN. *Iusta impera.*
574 *Prohibebor unus facere, quod cunctis licet?*
781 *defendat aulam cui furor populi imminet.*
103 *orbata fratre, miseriis luctu obruta.*
548 *placeant marito: sola perpetuo manent.*
583 SEN. *Remittat ipse.* NERO *Fama sed victum feret.*
857 *constituet, aetas nulla quam famae eximat.*
823 *extinguit in nos, caede nec populi madet*
funerea Roma, quae viros tales tulit.

Conferenda sunt talia aliarum tragoediarum:

Oed. 70 *cadunt medentes, morbus auxilium trahit.*
» 970 *saevitque frustra plusque quam satis est furit.*
Thy. 191 *ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.*
» 326 *sciens minister fiat et patri sciens*
Menelaus adsit.
Med. 984 *rediere regna, rapta virginitas redit.*
Ag. 4 *fugio Thyestes inferos, superos fugo.*
Oed. 93 *fugi . . . tuli.*
» 1027 *morere et nefastum spiritum ferro exige.*

Notandi sunt ii quoque loci, ubi complures versus continuos a verbo in Octavia incipit auctor, velut Oct. 443 sqq.:

NERO *Extinguere hostem maxima est virtus ducis.*
SEN. *Servare cives maior est patriae patri.*
NERO *Praecipere mitem convenit pueris senem.*

Qui tres versus ab eadem verbi forma, infinitivo, incipiunt desinuntque omnes in substantivo. Atque uno Octaviae loco non minus quam quinque versus continui ab iisdem verborum formis, participiis, initium capiunt, ex quibus duo qui primi sunt versus etiam in verbo desinunt, sequiturque sextus qui item verbo et incipit et desinit, dico 796 sqq.:

afflicta vulgi manibus et saevo iacet
eversa ferro; membra per partes trahunt
diducta laqueis, obruunt turbi diu
calcata caeno. verba conveniunt feris
immixta factis quae timor reticet meus.
saepire flammis principis sedem parant, eqs.

Quibus locis conferendi sunt hi versus, qui quattuor continui in verbo desinunt, Oct. 864 sqq.:

. . . . PRAEF. *Femina hoc nomen capit?*
. . . . PRAEF. *Estne qui sontem arguat?*
. . . . PRAEF. *Quis regere dementes valet?*
. . . . PRAEF. *Haud quemquam reor.*

Coniuncta ratione, cuius partim exempla iam supra cognovimus, continui versus et a verbo incipiunt et in verbo desinunt hoc Octaviae loco:

242 sqq. *spiritum fratri* *a b s t u l i t.*
h a u s i t cruorem matris — et lucem v i d e t
f r u i t u rque vita noxiam atque animam t r a h i t.

Exempla ex Senecae tragoediis petita quamquam multa colligi poterant similia, ne nimis chartae pereat, cum qui haec legent facile ipsi animadvertant, adferre supersedeo.

Ut verba aut significatione aut pronuntiatione similia in versus principio et in fine exstant, ita etiam n o m i n a similia posita sunt, velut his praetextae locis:

2 *A u r o r a fugat, surgit T i t a n.*
46 *f r a t e r . . . . s o r o r.*
102 *g e n e t r i c e caesa, per scelus rapto p a t r e.*
224 *l u x . . . . . d i e s.*
398 *I u s t i t i a caelo missa cum sancta F i d e.*
456 NERO *F e r r u m tuetur principem.* SEN. *Melius f i d e s.*
862 *H o r r o r e vinctum trepidus astrinxit r i g o r.*
261 *o b l i t a nostri, coniugis, legum i m m e m o r.*
973 *l e n e s aurae Zephyrique l e v e s.*

Duo exempla ex Senecae tragoediis petita adferre sufficit:

Oed. 20 *t h a l a m o s . . . . . . t o r o s.*
Thy. 307 *l e v e est miserias ferre, perferre est g r a v e.*

Antitheta igitur Octaviae auctor haud minus quam in tragoediis et in prosa oratione Seneca adamat et colligit. Omnibus fere in versibus hoc modo sententiam includentibus per chiasmum, quem appellant grammatici, vocabula collocata sunt.

Ab adiectivo incipi potest versus atque in substantivo, cui illud attribuitur, finiri. Huiusmodi collocationes in Octaviae senariis octo sunt:

42 *i g n o t a tantis classibus texit f r e t a.*
127 *S t y g i a e parentem natus imposuit r a t i.*

167 *d e f l e n d e nobis semper infelix p u e r.*
264 *r a p t a sque thalamis sanguine exstinxit f a c e s.*
570 *h i c mihi iugales praeferat taedas d e u s.*
594 *S t y g i a m cruenta praeferens dextra f a c e m.*
785 *q u i s iste mentes agitat attonitus f u r o r.*
792 *h i c urit animos pertinax nimium f a v o r.*

In ceteris fabulis haec collocatio aequa fere ratione atque in Octavia usurpatur.

Ex contrario raro substantivum in versus principio, adiectivum in fine ponitur, quod in Octavia non saepius factum est quam semel, ita ut pronomen possessivum, quippe quod saepe versum claudit, in fine versus atque substantivum, cui accedit, in principio collocetur: 484 *n u t u que terras maria subiecit t u o.* Item semel in Thyeste 779 *a r t u sque mandit ore funesto s u o s*, semelque in Medea 450 *p e n a t i b u s profugere quam cogis t u i s.* In Thyeste autem unus et rarissimus est locus, ubi duo versus continui a substantivo incipiunt et in attributo, eoque adiectivo, desinunt, dico versus 786 sq.:

t e n e b r i sque facinus obruat taetrum n o v i s
n o x missa ab ortu tempore alieno g r a v i s.

Quo loco sine dubio factum naturae contrarium singulari vocabulorum collocatione describere voluit auctor. Ceterum adiectivum substantivo suo, ut apud ceteros poetas Romanos, antecedit fere adeo ut saepe in superiore sit versu. In sequenti autem versu rarissime ponitur attributum neque haec licentia nisi certo consilio omnino admittitur, velut his Octaviae locis adiectivorum gravius exprimendorum causa:

172 sq. *membraque et v u l t u s deo/ s i m i l e s v o l a n t i.*
245 sq. *t e l a cur frustra iacis/ i n v i c t a toties temere regali manu.*
255 sq. *forsitan vindex d e u s/ existet a l i q u i s.*
627 sq. *supplices d e x t r a m petant/ Parthi c r u e n t a m.*
705 sq. *incessit h a b i t u atque ore laetitiam gerens*
princeps s u p e r b o.

Etiam his Oedipi versibus attributi in sequenti versu positi certum patet consilium:

566 sq. *fundit et Bacchum manu/ laeva.*
662 sq. *sospes absolvit manus/ Polybus meas.*
784 sq. *Corinthius te populus in regnum vocat/ patrium.*

Quibusdam tamen locis consilium nisi versus supplendi non invenies. Velut his praetextae locis:

266 sq. *cecidit infelix parens/ heu nostra ferro.*
409 sq. *sequi cursu feras/ auderet acres.*
693 sq. *certe petitus precibus et votis dies/ nostris refulsit.*

Idem cadit in hunc Oedipi versum

843 sq. *Regnum obtinente Laio famulus greges*
agitasti opimos sub Cithaeronis plaga?

Haec de substantivi eiusque attributi in senariis collocatione. In anapaestis autem eadem observatur ars qua usi sunt in versibus pentametris poetae elegiaci, cum saepissime attributum ante caesuram, substantivum in fine versus ponunt, quo factum est ut saepe clausulae similiter cadant. Quae ars in anapaestis harum tragoediarum ita est adhibita, ut attributum superioris hemistichi, substantivum sequentis in fine ponatur, velut hoc versu: *age tot tantis onerata malis.* Cuiusmodi exempla in Octavia 78 afferri poterant; exstant enim in his versibus: 5. 6. 7. 8. 11. 17. 21. 24. 26. 57. 72. 76. 77. 79. 81. 84 sq. 86. 87 sq. 98. 99 b. 201. 206. 213. 215 sq. 217. 218. 220 sq. 277 sq. 280. 284 sq. 293. 295 sq. 302. 303 sq. 306. 307. 312 sq. 314. 321. 341. 344 sq. 350 sq. 356 sq. 364. 369 sq. 646 sq. 648 sq. 652 sq. 661. 665. 666. 668. 671 sq. 674. 676. 677. 678. 689. 764. 774. 808. 811. 814. 817. 819. 881. 883. 889. 890 sq. 902. 923. 936. 939. 942 sq. 954. 958. 967 sq. 977. Contrario ordine, ut substantivum prioris, adiectivum sequentis in fine locum teneat, 22ies ponuntur in Octavia: 3 sq. (*diem — clarum*). 14 (*manu — sua*). 59 (*— tuos*). 70 (*— meos*). 91 (*— suam*). 203 (*— omnes*). 281 (*— aeternum*). 328 (*— suas*). 338 sq. (*— tuos*). 343 sq. (*— tuos*). 358 (*— tui*). 365 (*— nullam*). 374 (*— supremo*). 683 (*— nostris*). 688 (*— altis*). 769 (*— tuos*). 775 (*— Tyndaridos*). 778 (*— attonito*). 878 (*— secundo*) 918 (*— meos*). 927 (*— varios*). 950 (*— suo*).

In Oedipo, ubi versus anapaesti dimidio fere pauciores exstant quam in Octavia, illa exempla 36 sunt: 154. 157. 159. 162. 164. 165. 166. 168 sq. 171. 172 sq. 177. 179. 180. 181 sq. 184 sq. 201. 435 sq. 437. (439). 442. 444. 709. 742. 743. 746. 747. 749. 751. 752. 758. 762. 763. 981. 982. 986. 990. Contraria in hac fabula 8 inveniuntur 160 (*— profundi*). 163 (*— Sidoniis*) 167 sq. (*— crudo*). 170 (*— novam*). 190 (*— hiantes*). 192 sq. (*— presso*). 753 (*— novis*). 993 sq. (*— suum*).

Interdum in principio prioris hemistichi est adiectivum, sequentis substantivum. Quod in Octaviae anapaestis 9ies accidit: 11. 15. 16. 71. 87 sq. 291. 375 sq. (*per fera — vulnera*). 687. 807. In Oedipo quinquies: 167 sq. 174. 186. 191. 193. Contrario ordine, ita ut prius sit substantivum, posita sunt his Octaviae anapaestis: 76 (*— fida*) 322 (*— dira*). 651 (*— mea*). 664 (*— funesta*). 819 (*— violenta*). In Oedipo hoc non accidit.].

Maxime perspicuum est quosdam poetas aetatis Augustorum arti vocabulorum collocandorum a pedestri oratione alienae operam dedisse tum, cum duo eiusdem sententiae substantiva, quibus adiectiva accedunt, cum his eodem versu continentur. Quod si substantiva grandibus litteris *A* et *B* designamus, attributa autem minutis *a* et *b*, facile intellegis multis modis ordinem variari posse. Qua arte in his nominibus collocandis usi sint Octaviae auctor et Seneca, nunc est disserendum.

Ordines naturales, ut ita dicam, atque etiam solutae orationis proprii sunt hi, in quibus alterum substantivum cum adiectivo suo alteri antecedit:

1. *aAbB*, qui ordo his exstat Octaviae versibus:

tunc sancta Pietas extulit trepidos gradus 160
utinam nefandi principis dirum caput 227
en ipse diro spiritu saevi ducis 235
et ipsa Tellus laeta fecundos sinus 404

2. *AaBb:*

mentesque nostras ignibus terret sacris 230
invidia tristis victa consensu pio 485
pelagique numen omne consensu pari 709
iramque nostram sanguine exstinguat suo 830

3. *aABb:*

inimica victrix imminet thalamis meis 131
iuvenilis ardor impetu primo furit 189
quam cum scelesti coniugis mente impia 225
aut quem cruorem coniugis vidi mei 739

4. *AabB:*

nisi morte tristi nostra finiri mala 101
modo facibus atris armat infirmas manus 118
toris nefandis flebili iunxit face 142
vacuamque Erinys saeva funesto pede 161
matres Latinae flebiles planctus dabant 720

Pluribus autem modis per versum collocari possunt duo substantiva et quae iis accedunt adiectiva, velut ita, ut alterum substantivum eiusque adiectivum interponatur. Quo facti sunt hi ordines, qui ea ratione iam non possunt artificiosi appellari, ut a pedestri oratione alieni essent:

5. *abBA*, quae collocatio his invenitur Octaviae locis:

ignota tantis classibus texit freta 42
hic mihi iugales praeferat taedas deus 570
Stygiam cruenta praeferens dextra facem 594
confusa tristi proximae noctis metu 712
quaecumque claro marmore effigies stetit 794

6. *aBbA:*

graves furoris quae sui poenas dedit 272
lateque fulgens aetheris magni decus 390
velata summum flammeo tenui caput 702
o lenta nimium militis nostri manus 820
abstrahere nostris coniugem tantam toris 853

7. *AbBa:*

nullum huius collocationis in Octavia invenitur exemplum. (Cfr. Oed. 359 *ac semper omen unico imperio grave*)

8. *AbBa*, cuius duo in Octavia exstant exempla:

implebit aulam stirpe caelesti tuam 533
et ira patiens post nefas tantum mea 821

Hae demum vere artificiosae existimandae sunt collocationes quattuor, quae reliquae sunt. Primum antecedunt adiectiva, post ea substantiva simili ordine sequuntur, ita ut efficiatur

9. *abAB*, quae collocatio est in his praetextae versibus:

me dira miseri fata germani trahunt 182
dignaque nostram subole fundaro domum 532
sacrasque grato spargeres aras mero 701
(cfr. *exspectat aliam principis subolem domus* 181)

In anapaestis duo sunt exempla:

prima meorum causa malorum 11
fera quam saevi corda tyranni 87 sq.

Sed antecedere etiam substantiva possunt, ita ut ordo efficiatur proximo contrarius.

10. *ABab*, quo ordine duobus ponuntur Octaviae locis:

terrorque in hostes redeat attonitus meos 759
fidesque castris nota praeposuit meis 845

Nomina de quibus dissero etiam ita collocari possunt, ut substantiva medium locum teneant inter adiectiva, quae contrario ordine posita sunt:

11. *aBAb*, velut

dignamque thalamis coniugem inveni meis 544
quae subita vultus causa mutavit tuos 710
contraque sanctos coniugis vultus meae 841

Denique ita collocata sunt haec nomina, ut medium locum teneant adiectiva substantivis contrario ordine ea includentibus.

12. *AbaB:*

quatit ossa et artus horridus nostros tremor 735

Tria sunt exempla in anapaestis:

testis nostri fida doloris 76
non rota meos tua nunc casus 81
vis immitis violenta dei 819

Poetae Romani vetustissimi, quia solito ordine verba posuerunt neque a tradito collocandi more nisi certis causis coacti discesserunt, iis quas artificiosas notavimus collocationibus raro sunt usi. Quod etiam ideo factum est, quod raro accidit, ut duobus substantivis uno versu conclusis adiectiva attribuerentur. Neque tamen prorsus a veteribus illis aliena erat collocatio verborum artificiosa; sic iam apud Plautum hic invenitur versus Trin. 1000:

iam dudum meum ille pectus pungit aculeus

ubi idem est vocabulorum ordo, cuius sub numero 9 mentionem fecimus *abAB*, etsi adiectivorum loco in hoc versu duo pronomina exstant. Qui primus intellexit poetas vocabula specie tantum temere collocare, re vera consilio ac ratione disponere, LEO in opusculo de arte qua in vocabulis collocandis usus est Plautus conscripto[1]) dixit ordinem illum artificiosum ideo usurpatum esse, ut similis generis vocabula inter se proxime accederent. Itaque ratio ordinum *abAB* et *ABab* apparet. Ex hac re etiam id intellegi potest, quidnam fuerit, cur *abBA* usitatum esset, quae collocatio solutae quoque orationis propria est[2]).

---

[1]) Gött. Nachr. 1895, pag. 415 sqq.

[2]) NORDEN Aen. VI p. 384 sqq. formam *abBA* cum forma *abAB* exaequavit, et animadvertit eandem esse in his collocandi rationem, nisi quod in *abBA* vocabula per chiasmum ponuntur. Quod ut ex iis quae supra dixi pareret, ex parte tantum verum esse putaverim. Nam *abBA* non tam artificiosa est collocatio quam *abAB*. Quam ob rem disiungendos esse hos ordines et diverse tractandos existimaverim, non coniuncte, id quod constituit NORDEN. Interest etiam, utrum alterum nomen alteri aliquo modo subiungatur necne. Illud si fiat, etiam is qui artificiosus videtur ordo nonnumquam non est. — Ad usum harum collocationum ab antiquioribus poetis observatum, quem in dactylicis versibus exposuit NORDEN, addimus haec quae ex tragicis notavimus exempla. *abAB:* RIBBECK, Tragg. frgm. Fabul. praetext. Accius III *lue patrium* (ex coni. BUECHELERI) *hostili fusum sanguen sanguine*, Accius Erigona (v. 52) *Quod utinam me suis arquitenes telis mactasset dea.* Accius Epigoni VI (v. 293) *Qui nisi genitorem ullo, nullum meis dat finem miseriis.* *abBA:* Pacuvius, Atalanta (v. 68) *triplicem virili sexu partum procreat.* Idem Periboea (v. 290) *Non potest, Melanippe, hic sine tua opera exanclari labos* (LIPSIUS. *clavos ω*). Etiam Ennius, quem negat Norden harum collocationum exempla praebere, scripsit: *Hic vestrum panxit maxima facta patrum*, ubi *abBA* ordine minime artificioso. Dubia est ratio *abAB* apud Ennium in v. 35 (I fr. XXVIII): *Et cita cum tremulis anus attulit artubus lumen*, quia *cita* potius appositum quam attributum est.

Collocationes artificiosas, si cum ceterarum numero comparantur, multas in Octavia non esse vidimus. In reliquis autem tragoediis, ubi omnino artificiosior est oratio, etiam huiusmodi collocationes multo frequentiore fruuntur usu. Velut Oedipi numeri hi sunt.

1. *aAbB* 6ies invenitur:
   45. 246. 283. 509. 777. 809. (Praeterea lyricis in partibus quinquies: 133. 225. 230. 232. 731.)
2. *AaBb* quater:
   62. 288. 368. 643. (Lyricis in metris semel: 220.)
3. *aABb* quater:
   102. 321. 845. 1021.
4. *AabB* 10ies:
   88. 255. 327. 358. 374. 376. 625. 657. 672. 788. (Lyricis in partibus bis: 164. 724.)
5. *abBA* 11ies:
   22. 46. 106. 363. 547. 780. 793. 821. 920. 1023. 1049. (In hexametris bis: 466. 507, in ceteris metris lyricis semel: 497.)

6. *aBbA* 7ies:
531. 558. 589. 666. 689. 811. 958. (Quater in lyricis metris: 227. 467. 494. 722, praeterea in hexametro semel: 467.)
7. *AbBa* semel:
359.
8. *ABba* semel:
74.
9. *abAB* 22ies:
43. 57. 207. 245. 250. 252. 276. 277. 303. 325. 351. 377. 378. 553. 555. 772. 803. 846. 859. 918. 979. 1029. (Praeterea in hexametris 9 sunt exempla: 233. 236. 404. 429. 430. 431. 468. 504. 508, in ceteris lyricis partibus duo: 157. 180.)
10. *ABab* bis:
3. 66.
11. *aBAb* 8ies:
64. 251. 269. 302. 384. 581. 614. 1022. (Semel in tetrametro trochaico: 229.)
12. *AbaB* 8ies:
2. 37. 289. 360. 602. 627. 818. 857 (Ter in lyricis metris: 119. 136. 506.)

Agamemnonis autem numeri hi sunt.

1. *aAbB* 12ies:
108. 120. 176. 215. 223. 462. 572. 587. 701. 739. 938. 1008. (Praeterea lyricis in partibus bis: 57 sq. 613.)
2. *AaBb* ter:
20. 296. 958.
3. *aABb* ter:
182. 410a. 910. (Lyricis in partibus bis: 77. 620.)
4. *AabB* 7ies:
18. 154. 185. 421. 740. 753. 913. (Lyricis in metris semel: 838.)
5. *abBA* 12ies:
22. 127. 288. 408. 401a. 428. 447. 450. 463. 583. 711. 928.
6. *AbBa* ter:
250. 496. 737.

7. *aBbA* 7ies:
1. 136. 163. 413. 695. 943. 977.
8. *ABba* semel:
982.
9. *abAB* 25ies:
7. 14. 54. 119. 148. 194. 216. 230. 231. 407a. 429. 436. 441. 451. 459. 479. 505. 506. 518. 551. 584. 585. 705. 729. 892. (Lyricis in metris bis: 646. 674 sq.)
10. *ABab* ter:
485. 698. 874. (Lyricis in partibus semel: 855.)
11. *aBAb* 5ies:
41. 396a. 439. 947. 964.
12. *AbaB* quater:
50. 111. 395a. 442. (Lyricis in metris bis: 67 sq. 592.)

Omnes quas collegimus huiusmodi collocationes numerando videmus bina substantiva cum adiectivis uno versu concludi in Octavia 43ies, in Oedipo 114ies, in Agamemnone 95ies. Quod dimidio minor est Octaviae numerus, minime paucitate adiectivorum in praetexta efficitur — nam similis fere est in omnibus tragoediis, si cum ceterorum generum numeris contuleris, adiectivorum numerus —, sed ea re explicatur, quod omnino communi sermoni similior est praetextae oratio. Praecipuam enim causam, cur occasionem verba artificiosius collocandi Octaviae auctor non captaret, facile intellegimus, si animo reputamus in praetexta a sermone quo utebantur ipsi homines in scaenam adducti, longius decedere licitum non esse. In Graecis autem fabulis nullis coercitus est finibus Seneca, quin sublime genus poetarum in substantiva et adiectiva collocando sequeretur. Qua in re propius accedit Seneca Catullo, qui collocandi artificiis imprimis in epyllio usus est[1]).

In lyricis metris, quia, velut in Octavia anapaesti, saepissime breviora sunt, raro, ut Oedipi hexametros omittam, duo substantiva cum adiectivis uno versu continentur. Quo factum est, ut in artificiosis collocationibus latius vocabula disponerentur, velut

[1]) Cfr. Fisch, De Catulli in vocabulis collocandis arte. Diss. Berlin 1875.

in his Octaviae anapaestis: v. 201 sq. *passa est similes ipsa dolores/ regina deum*, ubi vocabula figura *abAB* collocantur ita, ut in sequenti versu *B* exstet, et v. 890 sq. *plura referre prohibet praesens/ exempla dolor*, ubi adiectiva in priore, substantiva in sequenti versu sunt collocata. Simile in senariis quoque accidit, velut in Octaviae versibus 126 sq. *suam/ Stygiae parentem natus imposuit rati* et 637 sq. *saevae nostra lacerassent ferae/ viscera*. Altero loco adiectivum *a* in superiore est versu, altero autem loco substantivum *B* in sequenti versu positum est. Similia exempla ex ceteris tragoediis satis multa adferri possunt.

Satis de illis collocationibus. Priusquam capitis, quod est de vocabulorum ordine, finem faciamus, pauca demum de allitteratione, quam vocant, proferre libet, quoniam hoc genus dicendi cum illis artificiis quodam modo coniunctum videtur, quamquam in hoc de eligendis magis quam collocandis verbis agitur. Allitterationem neque Octaviae auctorem neque Senecam in tragoediis vitasse vel haec ostendant exempla:

Oct. 112 *haud ferre posset fata post fratris dolor*
116 sqq. *offertur oculis, membra cum solvit quies*
et fessa fletu lumina oppressit sopor:
modo facibus atris armat infirmas manus.
oculosque et ora fratris infestus petit
124 *renovatque luctus et metus miserae mihi*
142 *toris nefandis flebili iunxit face*
157 sq. *quis tot referre facinorum formas potest*
et spes nefandas feminae

Haec satis ex Octavia. Quibus haec exempla ex Agamemnone petita appono:

Ag. 34 sqq. *versa natura est retro:*
avo parentem, pro nefas, patri virum,
natis nepotes miscui, nocti diem.
120 *Phasiaca fugiens regna Thessalica trabe*
258 *palam mariti possidens paelex domum*
283 *repudia regum*

291 *regum relicto rege*
284 *delicta novit nemo nisi fidus mea*
372 sq. *te permixto matrona minor*
maiorque choro
389 sq. *radice tenet*
respuit auras religatque rates

Allitteratio *f* sono effecta, quales ex Octavia attulimus multas, est vel hoc Oedipi loco:

55 sq. *funesta pestis, una fax thalamos cremat,*
fletuque acerbo funera et questu carent

Cfr. vel hunc Troadum fabulae locum:

1011 sq. *lenius luctus lacrimaeque mordent*
turba quas fletu similis frequentat

In Octavia cum maxime adhibita est allitteratio in principio, quo maiore vi describerentur Octaviae et nutricis metus et fletus; in Senecae et Neronis colloquio non tam multiplex consonantia usurpatur. Ex quo concludi potest Octaviae auctorem vel hac in re suo, non imitatoris ingenio usum esse, neque tamen fuisse Senecae dissimilem, ne dicam imparem. Ultima quae Nero ad Senecam direxit verba recte excipiuntur, sunt autem haec (v. 589 sqq.):

liceat facere quod Seneca improbat.
et ipse populi vota iam pridem moror,
cum portet utero pignus et partem mei.
quin destinemus proximum thalamis diem?

Ubi perstans Neronis consilium Poppaeam in matrimonium ducturi multis *p* sonis acriter elatis nescio an violentia quadam exprimitur.

De rebus metricis.

Ex metricis rationibus quoniam morem singulorum poetarum proprium quam maxime apparere constat, nos quaerere oportet, quas in hac arte normas sibi proposuerint et secuti sint Seneca Octaviaeque auctor. Cum vero multi [1]) de his rebus singulis egerint atque consimilem fere usum et consuetudinem utrobique animadverterint, nos ea selegimus, in quibus Octaviam a ceteris differre sibi persuaserint viri docti aut ubi parum recte iudicavisse nobis videantur. Primum de quibusdam rebus prosodiacis, quas vocant, tum de metricis rationibus dicemus.

Substantivorum in *-ium* aut *-ius* exeuntium genetivi formis in geminata *i* vocali desinentibus plerique inde a Propertio usi sunt aetatis Augustorum poetae [2]). Quorum in numero sunt Ovidius, Phaedrus, Lucanus, Valerius, Silius Italicus, Statius, Iuvenalis. Seneca vero et Manilius, Aetnae auctor, Persius, Martialis antiquiorum morem secuti formam in *i* simplici desinentem ponere maluerunt. Ac Seneca quidem simplicem *i* vocalem 14^{ies} posuit (ex quibus in lyricis non plus semel: *arbitri* Med. 137. — *coniugi* Med. 481, Ag. 155. — *consili* Thy. 308. 325. — *imperi* Thy. 223. 239. 526, Phoen. 296. 661, Phaed. 868, Oed. 84. — *ingeni* Phoen. 238. — *supercili* Phaed. 799 (in versu asclepia-

[1]) B. SCHMIDT, De emendandarum Senecae tragoediarum rationibus prosodiacis et metricis. — RICHTER, De Seneca tragoediarum auctore. — L. MUELLER, De re metrica. — LEO, l. c. I.

[2]) NEUE-WAGENER I pag. 145 sqq.

deo) [1]), formam in *-ii* exeuntem 8^{ies} (ex quibus in lyricis quater): *coniugii* Ag. 80 (in anap.). — *consilii* Ag. 126. — *exsilii* Thy. 923 (in anap.) — *imperii* Phae 430. 542. 1111. — *senii* Phae. 823 (in asclepiad.); *spatii* Tro. 398 (in asclepiad.) [2]). Accedit Graeca vox *Ilii* Tro. 428 et celtica *Danuvii* Thy. 376 (in glyconeo). Simili ratione in Octavia formae in *-i* simplici desinentes plures sunt, quippe quibus 4^{ies} usus est auctor: *imperi* 483. 601. 790. — *ingeni* 152. Accedunt *Claudi* 38. — *Lucreti* 303 (in anap.). Quae genetivi forma in Romanis nominibus propriis in *-ius* exeuntibus communis erat [3]). Longior forma non plus semel invenitur in Octavia: *consilii* 447. Ergo hoc de usu consentiunt Octaviae auctor et Seneca, praesertim in Thyeste (5 *-i*, 1 *-ii*).

Perfecti verborum formis contractis ubique (104^{ies}) usus est Seneca nisi quod 5^{ies} fere in 3 pers. sing. perf. duplicem *i* vocalem posuit [4]). Octaviae, ut plerisque ceterarum tragoediarum, formae diductae desunt.

Iam vero in formis perf. act. 3 pers. plur. Octaviae usus a ceterarum fabularum more prorsus videtur abhorrere. Nam cum in Senecae tragoediarum senariis 79 inveniantur formae in *-ere* exeuntes neque plus quam 10, quae in *-erunt* desinant, in Octavia aequo numero (4:4) utraque forma ponitur [5]). Etiam in canticis, ubi formis tantum in *-ere* exeuntibus usus est Seneca, ter [6]) for-

[1]) Miror apud NEUE-WAGENER I pag. 147 etiam in novissima editione has formas parum accurate numeratas esse. Nam ut omittam nonnullos locos neglectos, fabula Phoenissarum duobus diversis nominibus est commemorata: 'Oed. Fragm.' et Phoeniss. Fragm.' Neque difficile erat ex SCHMIDTII libello rectos petere numeros. Versuum quoque in numeris exscribendis malam quandam editionem secuti sunt NEUE-WAGENER.

[2]) Erravit igitur SCHMIDT, cum plenis formis credidit plerumque uti Senecam.

[3]) Cfr. NEUE-WAGENER I pag. 154.

[4]) ROOSEN, De quarundam verbi et adiectivi formarum usu Plautino Annaeano, progr. Bonnae, pag. 4 sqq.

[5]) Ea quam attulit ROOSEN pag. 19 ratio non constat, quia fugit eum v. 512 forma *videre*.

[6]) 776 *moverunt*, 65 *senserunt*, 294 *expulerunt*. Eo tamen, quem postremum adnotavi, loco suspicor plusquamperfectum *expulerant* a plurimis co-

mam in *-erunt* desinentem usurpavit praetextae auctor. Ego vero ne dicam Senecam, qui quidem in Agamemnone et Hercule Oetaeo ter posuit longiorem formam, quam in singulis reliquarum fabularum non saepius quam semel aut nusquam usurpavit. in singulis tragoediis rationem variasse[1]), certissimum habeo formam in *-ere* exeuntem, quippe quae a Cicerone haud libenter usurpata[2]) in linguas Romanicas, quae vocantur, non transiit, alienam fuisse a communi sermone, cui paulo propius accedit sermo praetextae[3]). Seneca in alta Graecarum fabularum oratione communes formas raro posuit, in canticis prorsus vitavit. Quod autem in praetexta saepius usurpatae etiam in canticis positae sunt. quae simplicius quam in tragoediis sunt conscripta, nihil valet ad Octaviam a Seneca abiudicandam. Immo ad illam rationem Seneca haud indignam, qua adiectiva in *-ficus* et *-fer* in praetexta vitavit (pag. 42), etiam hoc est referendum.

In passivi 2 pers. formarum in *-re* et *-ris* exeuntium usu eandem sequitur rationem Octaviae auctor ac Seneca[4]).

In *iaciendi* verbis compositis primam syllabam corripit Seneca[5]). Item in Octavia versus initio 125 *adice his superbam paelicem* et in quinto pede 827 *civium subicit furor.*

Formam 1 pers. praes. *intuor* septies usurpat Seneca[6]), quinquies in fine versus; formam *intueor* nusquam posuit. Eadem ratione semel in Octavia *intuor* in fine versus invenitur 728 *venientem intuor.*

Quis pro *quibus* exstat Oct. 621. 728. Item Oed. 680, Med. 711.

dicibus traditum legendum esse. quamvis haec forma cum sequentibus haud bene conveniat.

[1]) Unde credit ROOSEN pag. 20 sq. temporum ordinem quo conscriptae sint fabulae, concludere licere. Sed somnia esse quae hac una re nixus exposuit nemo non videt.

[2]) Orat. 47, 157 *nec vero reprehenderim 'scripsere alii rem'; 'scripserunt' esse verius censeo.*

[3]) Cfr. NEUE-WAGENER III pag. 190 sqq.

[4]) Cfr. ROOSEN l. c. pag. 21 sqq.

[5]) SCHMIDT l. c. pag. 16.

[6]) ROOSEN l. c. pag. 25.

Iam ad metra nos convertimus et primum de senariis videmus. Rationes igitur similes fere in iamborum, spondeorum, tribrachorum, anapaestorum, proceleusmaticorum in singulis pedibus usu secutos esse Senecam Octaviaeque auctorem ex tabula a RICHTERO[1]) confecta apparet. Item in elisione adhibenda, etiam in elidendis longis syllabis, ubi multum inter se differunt poetae[2]), rationibus utitur Octaviae auctor plane iisdem ac Seneca[3]).

In Senecae tragoediis creticos in trimetrorum fine positos semper fere cum antecedenti vocabulo coalescere post SCHMIDTIUM et F. A. LANGIUM animadvertit LEO[4]). Qui dixit inter Senecae trimetros centenos claudi creticis cum antecedenti voce coalescentibus in Hf. 11,6 non coalescentibus 2,1; Thy. 9,8: 2,05; Phoen. 10,2: 1,5; Phaed. 10:1; Oed. 8,4: 0,5; Tro. 10: 1; Med. 11,2: 1,9; Ag. 7,3: 1,1; HO. 9,4: 0,8. Sed cum pergit: »in Octavia vero et creticorum usus rarior et non coalescentes prorsus evitati sunt«, doleo virum illustrissimum temere falsum iudicium fecisse. Immo nihil differt a ceteris Octavia, in qua inter centenos senarios 7,6 cretici coalescunt, 0,7 non coalescunt. Cretici in fine versus cum antecedenti voce non coalescentes in Octavia quattuor sunt, v. 237 *dux impius*, 469 *spes exsulum*, 457 *plus diligi*, 393 *genus impium*. Versus 237 et 469 miror Leonem fugisse; versum 457 delere voluit[5]), 393 huc non pertinere censuit, quia animadvertit bibreve non coalescens cum cretico praeterea in his tragoediis non inveniri nisi ter in Hercule Oetaeo (406. 757. 1847). Sed quoniam duo horum exemplorum in in ea parte HO:i exstant, quam Senecae esse etiam ipse concessit, differentiam in hac Octaviae et ceterarum fabularum usu statuere non debuit.

Octaviae in creticis ita usurpatis cum Senecae tragoediis consensio eo maioris est momenti, quod consuetudo ceterorum omnium qui trimetro iambico usi sunt poetarum Romanorum prorsus est contraria. Velut in Terentii Hautontimorumeno inter cen-

[1]) L. c. pag. 16.

[2]) Cfr. MUELLER, l. c. pag. 336.

[3]) RICHTERI tabula l. c. pag. 17.

[4]) L. c. pag. 58.

[5]) Vide critica pag. 97.

tenos senarios numeravit LEO in fine 7 creticos coalescentes, 30 non coalescentes, itemque inter centenos Phaedri versus 7 coalescentes, 30 non coalescentes. Ego in tragicorum Romanorum reliquiis haec numeravi: In Accii senariis in fine versus 48 cretici cum antecedenti vocabulo coalescunt, 75 non coalescunt, in Ennii senariis 14: 25, in Naevii 1: 9, in Livii 2: 3. Qui numeri illum quem tractamus usum unius Senecae Octaviaeque auctoris proprium esse ostendunt.

In canticis vero Octaviae rem metricam a Senecae more differre omnes sibi persuaserunt viri docti. Primum notaverunt in Octavia nullos alios versus nisi anapaestos usurpatos esse, quod quidem dixerunt quam maxime ab usu, qui in ceteris obviam fit tragoediis, abhorrere. Neque tamen est praetermittendum proximam esse Octaviae hac in re fabulam Agamemnonem, cuius de canticis dixit LEO[1]: »praeter anapaestos et mixtorum quandam metrorum congeriem iambicosque dimetros a Cassandra pronuntiatos nullum metrorum genus comparet, cum reliquarum nulla cantico aeolicis numeris composito careat». Quod autem via iam Agamemnonis fabula designata paulo longius progressa est Octavia, nihil ad quaestionem de auctore pertinet, quia scriptor, quisquis fuit, bonum ostendit delectum, qui suae aetatis homines non finxerit difficiles versus lyricos canentes. Atque Senecam tam solennia non voluisse cantica in praetexta quam in Graecis fabulis per se intellegitur. Imitator autem vix tantum iudicii habuisset.

De monometrorum in versibus anapaestis usu cum dixit LEO[2]: »parcissimus est monometrorum usus, siquidem in novem fabulis non amplius quadraginta inveniuntur; contra in Octavia viginti duo quorum octo in media sententia posita sunt: ut hac quoque in re arte prorsus diversa Octaviae auctorem usum esse eluceat», numerum anapaestorum in Octavia maiorem esse quam in ulla ceterarum fabularum non vidit. Minime enim est mirandum in Octaviae 385 anapaestis 22 esse monometros, siquidem in Troa-

[1]) L. c. pag. 97.

[2]) L. c. pag. 101.

dum 130 anapaestis 9 sunt[1]). Inde autem, quod ex Octaviae monometris 8 vel 7 in media sententia posita sunt, haud scio an imperfectos[2]) esse Octaviae anapaestos appareat, quia de minore artis severitate hic vix cogitari potest senariis tam caute compositis.

Syllaba anceps aut hiatus exstat ante finem enuntiati in Octavia 22ies. Neque id a Senecae usu abhorret, qui quidem in Agamemnone, ubi dimidio est minor anapaestorum numerus, eandem licentiam 11ies admiserit. In Agamemnone hiatus in syllaba ancipite ter admissus est; in Octavia in duplici anapaestorum numero quater adhibita est haec licentia. Siquidem in reliquis fabulas id sibi non permisit Seneca, intellegitur eum easdem normas in omnibus fabulis secutum non esse.

[1]) LEO et magis etiam RICHTER Octaviae monometrorum numerum praeter necessitudinem auxerunt. In illius editione 35 sunt, quorum 13 in media sententia. Hic autem monometrorum in medio enuntiato positorum numerum ita cumulavit et adauxit, ut 32 effecerit, cum in codicibus 8 sint. In LEONIS editione metro non postulante in media sententia ponuntur et facile tolluntur hi monometri: Versus 19 cum sequenti uno dimetro est concludendus, ita ut monometer exstet in fine enuntiati v. 20: *invisa magis.* Item cum sequenti hemisticho connectendus v. 59, quo facto monometer v. 61 tollitur. Eodem modo monometri 345 et 362 tolluntur. Neque necessarii sunt 296 et 681.

[2]) Quod etiam ex omisso post actum secundum choro elucere videtur. Nam quinque actus in Octavia sicut in omnibus Senecae tragoediis statuendi sunt. Miror quod in Oedipo sex actus esse credidit LEO (Plautin. Forsch. pag. 231); quem errorem etiam SCHANZIO propagatum (MÜLLERI enchiridii VIII, II, 2, ed. 3 pag. 68 adn. 3) ita ortum esse apparet, ut versibus 915—997 quintum actum effici opinaretur. Quos versus tamen cum antecedetibus quarto actu concludi perspicuum est. Similiter in Octavia versus 780—819, ubi item producitur nuntius, quarti sunt actus.

Conclusio.

De Octaviae auctore disserenti mihi exeundum necessario visum est ex codicibus, quamvis non optimis, attamen iis, quorum in Seneca recensendo iure nonnulla debentur. Etenim quo antiquior origo codicum, praesertim si ad Neronis aetatem recedimus, eo verisimilius est in iis celatum esse opus auctoris, qui Caesari imperatori potentissimo notam inusserit crudelitatis multo severiorem quam antea satirae de morte Claudii auctor. Neque Neronis mortem tam vagis vestigiis, quam quae in Octavia reperire plurimi fere sibi visi sunt, nuntiari ab auctore haud contemnendo ullo modo concedendum existimo.

Octaviae autem imaginem cum urgentibus Claudiae gentis fatis et Neronis dominatione non ferenda optime coniunxit Seneca, qui et ea penitus noverit, doluerit optimeque depinxerit et mores hominum eius aetatis suasque ipsius sentiendi rationes remque publicam admininistrandi consilia exposuerit, Senecae non imitator quidam vel assecla inferior, sed in illis rebus omnibus pari ingenii facultate aequandus.

Accedunt sermonis Annaeani et metrorum similitudines etiam in minimis rebus, quae imitanti vix contigerunt, satis conspicuae haud paucae, dissimilia autem ex praetextae ratione explicanda. Nec desunt quae imperfecta condicione fabulae ultimis temporibus Senecae scriptae excusanda videantur.

Haec fere fuerunt, quibus coniunctis praesertim adducerer, Senecae ut Octaviam praetextam concederem aut saltem non denegarem.

Animadversiones criticae.

I. Oct. v. 385 sqq. in codicibus haec leguntur:

o quam iuvabat, quo nihil maius parens
natura genuit, operis immensi artifex,
caelum intueri, s o l i s *et currus sacros*
mundique motus, s o l i s *alternas vices*
orbemque Phoebes, astra quem cingunt vaga
lateque fulgens aetheris magni decus.

Ubi *solis* nominis v. 387 sq. bis repetiti vitium sublaturi novissimi editores Leo, Richter (et Würtheim) in Delrii invento acquierunt, qui versus 387 posterius hemistichon *solis et currus sacros* et sequentis prius hemistichon *mundique motus* delere iusserat, ita ut hoc modo decurrerent versus 387 sqq.:

caelum intueri, solis alternas vices
orbemque Phoebes, astra quem cingunt vaga,
lateque fulgens aetheris magni decus.

Nemo tamen quaesivit, quo quis consilio illa verba, quae deleverunt, addidisset. Quae ego quidem vereor ne damnando de sententia multum detraxerint. Nam *mundi motus* non sine causa commemoratur, immo nocturni caeli conversionem significat et aptissime ad universum caeli spectaculum, quod prima *caeli* voce in v. 387 designatur, ad *solis*, lunae, astrorum vagorum cursus ab illo diversos respondet. Quam apte *mundi motus* hoc loco ponatur, Ciceronis ostendunt verba Tusc. disp. V 69: *Quo tandem igitur gaudio adfici necesse est sapientis animum cum his habitantem*

et pernoctantem curis! ut cum totius mundi motus conversionesque perspexerit sideraque viderit innumerabilia caelo inhaerentia cum eius ipsius motu congruere certis infixa sedibus, septem[1]) *alia suos quaeque tenere cursus multum inter se aut altitudine aut humilitate distantia, quorum vagi motus rata tamen et certa sui cursus spatia definiant.* Itaque illis praetextae versibus alia via est medela paranda eoque tantum loco quaerenda, ubi manifestum erroris patet vestigium, in repetito *solis* nomine. Utro autem loco falso sit traditum, facile apparet. Cum enim priore versu apte ut pulcherrimum spectaculum *solis currus* cum epitheto *sacros* praeditos attulit poeta ita, ut nihil mutari liceat, posteriore versu aliud quiddam potius desideres, quod cum mundi motu congruat[2]). Id quale sit, vel ex illo Ciceronis loco intellegitur, et haec patefaciunt exempla a Seneca ipso oblata:

Dial. X 10, 6 *nec magis moram patitur quam mundus aut sidera, quorum inrequieta semper agitatio numquam in eodem vestigio manet.*

Natur. quest. VII 9, 4 *Adice nunc, quod etiamsi in summum pertenderet, ubi sideribus iter est, utique ab eo motu, qui universum trahit, solveretur. quid enim est illa conversione mundi citatius.*

Epist. 90, 42 *mundus in praeceps agebatur silentio tantum opus ducent. tam interdiu quam nocte patebant prospectus huius pulcherrimi domus. libebat intueri signa ex media caeli parte vergentia, rursus ex occulto alia surgentia.*

Ne tragoedias omittam, hunc unum adfero Hf. v. 125 sq.:

iam rara micant sidera prono
languida mundo.

---

[1]) Inter quae numerat Cicero et solem et lunam. Cfr. Tusc. disp. I 63 *cum Archimedes lunae, solis, quinque errantium motus in sphaeram inligavit.*

[2]) Quod perspexit GRONOVIUS, qui *solis* v. 388 in *noctis* mutavit. Hanc coniecturam cur veram esse non existimaverim, ex iis quae disserui, satis apparet. Quod proposuit BOTHIUS *salis et* ab huius loci sensu prorsus est alienum.

Ex quibus satis apparet *siderum alternas vices* scripsisse poetam, quod et sensu et emendationis probabilitate commendatur. Nam facile ex priore versu primis litteris fallentibus repetitum est *solis*. Itaque non dubitamus Octaviae scriptori haec reddere:

o quam iuvabat, quo nihil maius parens
natura genuit, operis immensi artifex,
caelum intueri, solis et currus sacros,
mundique motus, siderum alternas vices
orbemque Phoebes, astra quem cingunt vaga,
lateque fulgens aetheris magni decus.

Sidera autem cum mundi motu congruentia, i. e. fixa signa, apte *astris* vagis, i. e. planetis, opponuntur. Quod si quis ut a philosophis, ita a poeta factum non esse putaverit, sententiam mutabit his Phaedrae versibus perlectis:

959 sqq. *O magna parens natura deum*
tuque igniferi rector Olympi,
qui sparsa cito ***sidera*** *mundo*
cursusque ***vagos*** *rapis* ***astrorum***
celerique polos cardine versas,
cur tanta tibi cura perennes
agitare vias aetheris alti eqs.

Qui versus cum universa ratione simillimi sunt illorum Octaviae versuum, ita ut ex una eademque mente orti esse videantur, tum verbis quae distinctis litteris edimus satis firmatur nostra emendatio.

His ipsis rationibus explanantur versus quidam, quos pronuntiantem in secundo de consulatu fecit Cicero Uraniam musam. Dico versus, qui exstant De Div. I c. XI 6 sqq., quos quidem ab eo quoque, qui novissime apud nos de poesis Tullianae reliquiis egit, Einar Heikel[1]) iniuria vexatos video. Nam sana sunt aut levissima saltem correctura sananda haec verba:

---

[1]) Adversaria ad Ciceronis de consulatu suo poema. Diss. Helsingforsiae 1912, pag. 78 sq.

Et si stellarum motus cursusque vagantis
nosse velis, quae sint signorum in sede locatae,
quae verbo et falsis Graiorum vocibus errant,
re vera certo lapsu spatioque feruntur,
omnia iam cernes divina mente notata.

Ubi in ordine versuum nihil est mutandum, dummodo primus, quem attulimus, versus recte accipiatur. Nam verba *stellarum motus cursusque vagantis* ita non sunt intellegenda, ut nisi de planetis posita non essent, sed distinguenda sunt *motus* et *cursus vagantis* ita ut *vagantis* ad *cursus* tantum attribuatur, *motus* autem de stellarum fixarum conversionibus sit dictum. Qua facta distinctione perspicuum fit, cur sequentibus quoque in versibus eodem ordine primum eae commemorantur stellae, quae in signorum sede sunt locatae, i. e. fixae, tum stellae verbo errantes, quae revera tamen eae quoque certo spatio feruntur. Itaque servanda esse putaverim, quae tradita sunt, nisi quod v. 7 haud scio an *sint* cum HOTTINGERO in *sunt* sit mutandum[1]).

II. In aetatum descriptione v. 420 sqq. haec ante LEONIS editionem vulgabuntur:

partita fines regna constituit, novas
extruxit urbes, tecta defendit suis
aliena telis, aut petit praedae imminens.

LEO vero ex BUECHELERI coniectura *sua* pro *suis* scripsit, ut alia adhibita distinctione acrius inter se opponerentur sententiae:

[1]) Addere liceat USENERI coniecturam, qua v. 8 sic edi iussit: *quae verbo ex falso Graiorum motibus errant*, valde esse dubitandam, quia nusquam, cum opposuit *verbo . . re vera* vel similia Cicero, in his formulis epitheton *verbo* attribuit. Cfr. Or. Quinct. 7. Verr. I 72. ib. 155. ib. III 33. ib. 133. Cluent. 54. Leg. agr. II 32. Re publ. V 2. — Quinct 56. Leg. agr. II 10. De fato 22. Fin. IV 72. Tusc. III 37. Nat. deor. I 85. — Verr. II 47. ib. 67. ib. III 147. Caecin. 59. Philipp II 11. ib. VII 9. ib. XI 11. Caecin. 55. Phil. III 14. ib. IV 1. De offic. III 83. HEIKEL coniecturam USENERI in prius hemistichon recepit, *vocibus* in *noctibus* mutavit. Sed quo hanc vocem referas in dubio haerebis. Ergo etiam hoc versu codicum fide standum esse putaverim et nimiam abundantiam in *verbo* et *vocibus* positam ita explicaverim, ut illud idem fere significet ac *verbo latino*, Graecis vocibus oppositum.

tecta defendit sua,
aliena telis aut petit praedae imminens.

Cum autem tertium enuntiati locum hoc modo teneat *aut* particula, quae nusquam in Octavia ne secundo quidem loco ponitur[1]), nescio an praestet tradita codicum lectio, in qua nihil est quod iure reprehendatur. Nam apte homines inconstantes dicuntur aliena tecta modo defendere modo appetere. Pronomen *suis* autem graviter non est exprimendum, sed sic ut saepe in fine versus metri explendi fere causa positum est.

III. In altercatione illa Neronis et Senecae gravissima haec exstant verba v. 456 sqq.:

NER. *Ferrum tuetur principem.* SEN. *Melius fides.*
NER. *Decet timeri Caesarem.* SEN. *At plus diligi.*
NER. *Metuant necesse est.* SEN. *Quidquid exprimitur, grave est.*

Quem medium exscripsimus versum 457 delevit LEO ea praecipue causa, quod creticum cum antecedenti syllaba longa non coalescentem in fine versus nusquam in Octavia putabat inveniri. Quod ita non esse supra pag. 89 ostendi. Itaque hic versus, quem alias ob causas fortiter defendit LADEK, certioribus rationibus Octaviae auctori reddi potest.

IV. In eodem diverbio postquam Seneca divum genus Octaviae laudavit, suo more respondit Nero v. 536 sq.:

Incesta genetrix detrahit generi fidem,
animusque numquam coniugis iunctus mihi.

Quorum versuum primus nescio an minus recte ita sit intellectus, ut suspicaretur Nero, essetne re vera Claudii filia Octavia. Immo id tantum dicit, propter matrem se fidere Octaviae non posse. Hunc sensum illi versui si reddimus, haud inepte coniunguntur, quae invicem respondit Seneca:

Teneris in annis haud satis clara est fides,
pudore victus cum tegit flammas amor.

[1]) Vide quae dixi pag. 70.

Quae verba Leo hoc modo edidit[1]):

Teneris in annis haud satis clarus ferest,
pudore victus cum tegit flammas, amor.

Ubi in *ferest* dupliciter videtur peccavisse. Primo enim *fere* nusquam in Octavia positum satis rarum est in tragoediarum corpore Annaeano: invenitur non saepius quam HO. 407. 452 et Tro. 438. Accedit quod *ferest* in finem senarii coniectura vix adduci potest, cum rarissime ibi talia posuerit et Octaviae auctor et Seneca. In Octavia haec sunt: v. 108 *nece est*, 458 *grave est*, 604 *datum est*, 825 *parum est*. Quorum nullo Leonis coniectura satis probatur.

Codicum igitur scripturam etiam hoc loco retinuerim.

V. V. 760 Poppaea a nutrice aliquantulum somnii terroribus liberata postquam victimis placare deos constituit, illam quoque vota pro se suspicere iubet additque

et precibus piis
761 *superos adora, maneat ut praesens metus.*

Corruptelae, quae manifesta est in ultimo enuntiato, audacem medelam admovit Buecheler proposuitque *praesens status*, his verbis usum intrudens, quem Senecae vix alii loci permittunt. Nam ita semper est in his tragoediis posita vox *status*, ut cuius vel qualis sit status indicetur, velut Tro. 301 *rerum secundarum status*, 1047 *mentis status*, Med. 879 *regni status*, Phae. 435 *prospero regnum in statu est*, Oed. 833 *felicem statum.* Eadem non esset ratio illo Octaviae loco, si *praesens status* scriberetur. Et recte tradita nomina confirmat v. 724 *praesenti metu.* Itaque cum error in verbo *maneat* esse videatur, haud scio an sit scribendum *cedat ut praesens metus* collatis Stat. Silv. I 2, 26 *cedant curaeque metusque*, quamvis fatear hanc scripturam paulo longius ab illa quam codices praebent distare.

VI. Oct. v. 797 sq. de populo statuas Poppaeae frangente haec in plurimis codicibus leguntur:

[1]) *Clarus* invenit Mommsen.

membra per partes trahunt
diducta laqueis . . .

Ubi miror viros doctos *diducendi* verbum non tulisse, sed variis modis temptavisse. Leo quidem ex codice T scripsit *deducta* eumque secutus est Richter, Würtheim *direpta* haud feliciter coniecit. Sed codicum illorum scripturam rectissimam esse ex Thy. v. 60 apparet, ubi synonymon *diducendi* verbi usurpatur:

membra per partes eant
discerpta.

Accedit quod ipsum *diducendi* verbum similiter apud alios scriptores invenitur, Lucr. III 535 animam posse *cunctis sensum diducere membris.* Arnob. nat. 6, 16 *Capitolinos Ioves* (i. e. statuas) *diducere in membra resolutos.*

VII. Ultima Neronis verba in Octavia haec in editionibus sunt:

V. 874 sqq. (Octaviam) *devectam rate*
procul in remotum litus interimi iube,
tandem ut residat pectoris nostri timor.

Totam altercationem imperatoris et praefecti si perspexeris, mirum videbitur, quod hoc loco de timore dicitur, quem nusquam in toto diverbio commemoravit et vix commemorare potuit[1]) Nero. Causam enim, cur Octaviam damnandam esse censuerit, aliam esse bis indicat:

V. 827 sqq. *at illa cui me civium subicit furor,*
suspecta coniunx et soror semper mihi,
tandem dolori spiritum reddat meo
iramque nostram sanguine exstinguat suo.
V. 860 *iram expiabit prima quae meruit meam.*

Quibus ex versibus perspicuum fit de ira, non de timore loqui voluisse imperatorem. Atque huic interpretationi occurrit lectio

[1]) Quin id sentiam, non obsistit versus, qui in Senecae et Neronis altercatione exstat, 441 *iustum esse facile est cui vacet pectus metu*, quia *metus* nomen hic alia ratione ponitur, cum agit Nero cum praeceptore.

tumor, quae in vetustissimo A generis codicum L exstat, praeterea in iis codicibus manu scriptis, quos Q et D litteris designavit LEO. Nomen *tumoris* cum vulgo de ira ponitur, tum hoc Senecae loco: Thy. 519 sq. *ponatur omnis ira et ex animo tumor/ erasus abeat.* Quam facili errore *tumor* in *timor* mutaretur, vix est quod commemoremus. Contrariam autem mutationem tam facilem esse non concesserim.

VIII. Oct. 887 sqq. haec in libris exhibentur:

te quoque, Livi, simili leto
Fortuna dedit, quem neque fasces
texere sui nec tecta domus.

Quoniam consul non fuerat, verum tribunus Livius Drusus, cuius hic mentio fit, inepte ei *fasces sui* attribuuntur. Quam rem ad imperitiam scriptoris rettulerunt BRAUN[1]) et GEMOLL[2]), ita fere etiam NORDMEYER[3]), FARNABIUS autem contendit *fasces* pro dignitate magistratus esse positum, quamquam id exemplis probare non potuit. In Thesauro is qui *fascis* nomen instruxit exempla quaedam de hoc usu adfert, quae tamen ad illum Octaviae locum tuendum non sufficiunt. Incommodum autem levissima correctura a WILAMOWITZ-MÖLLENDORFF adhibita tollitur, *sui* in *suae* mutando. Quae mutatio ut emendationis probabilitate commendatur, ita his confirmatur exemplis: Cic. nat. deor. III 32, 80 *cur sodalis meus interfectus domi suae Drusus* et ipsius Senecae Dial. VI 16, 4 *intra penates interemptum suos.* Unde efficitur scriptores significasse, cum de Drusi morte commonuerunt, *suo* proprio in tecto eum interisse. Nihil vero insoliti esse in *nec* particula traiecta pag. 70 docui.

IX. Minime sanatum putamus esse in fine praetextae initium querelae Octaviae, cuius extremum iter ingressae verba in codicibus sic exscribuntur:

[1]) Die tragödie Octavia, pag. 52.
[2]) Wochenschrift f. klass. Phil. 1906, pag. 1088.
[3]) L. c. pag. 62. Is quidem dicit ex hoc Octaviae loco apparere eo tempore, quo scripta esset fabula, tribunos plebis fasces habuisse.

V. 899 sqq. *Quo me trahitis quodve tyrannus*
aut exilium regina iubet,
si mihi vitam fracta remittit
tot iam nostris evicta malis?

In versu 902 miror editores GRONOVII coniectura recepta *evicta* in *et victa* mutasse. Nam hoc modo et verborum ordo turbatur et sanissima sententia, quae in eo est, ut Poppaea Octaviae malis permota vel evicta vitam ei remittat. Cuius *evincendi* verbi usus multa exstant exempla apud scriptores Latinos, velut scribit Verg. Aen. IV 548 *tu lacrimis evicta meis* et Ovid. Fast. III 688 *evictas precibus vix dedit illa manus* et Tacitus, apud quem multa sunt, Ann. 4, 57 *precibus uxoris evictus . . . adscivit*, 11, 37 *supremis eius necessitatibus* ad *miserationem evicta. Vincendi* verbum non recte ponitur, quia Octaviae malis vinci non poterat Poppaea. Quae sit *vincendi* verbi usus in Octavia, ostendit v. 331 sq., ubi de Agrippina in mari nante haec dicuntur: *postquam spes est nulla salutis,/ ardens ira, iam victa malis (exclamat).* Unde intellegitur idem hic de Poppaea non dixisse auctorem. Itaque in superiore participio *fracta* vitium est quaerendum. Quod itidem male de Poppaea ponitur, quam Octaviae *frangi* malis vix est cogitandum. Cum vero ea quae ante de Poppaea dixit Octavia v. 131 sqq. *inimica victrix imminet thalamis meis/ odioque nostri flagrat et pretium stupri/ iustae maritum coniugis poscit caput* in animum revocamus, iam occurrit emendatio probabilis. Nam *fracta* in *pacta*, i. e. quamquam vitam meam pacta est, mutato sententia aptissima efficitur, quae ad illa commodissime respondet. Ergo scribendum est:

Quo me trahitis quodve tyrannus
aut exilium regina iubet,
si mihi vitam pacta remittit
tot iam nostris evicta malis.

END OF REEL
PLEASE REWIND